


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
254
5 C
33



INSTITUTIONES

JURIS SOCIALIS NATURÆ

AD USUM SCHOLARUM

ADVERSUS

PSEUDO-JUSPUBLICUM PHILOSOPHICUM

JUXTA THEORIAM STATUS NATURALIS SOCIALIS

A CELEBERRIMO VIRO


CAROLO LUDOVICO DE-HALLER

OPPOSITAM HYPOTHESI STATUS CIVILIS FACTITII

AUCTORE

ALOYSIO UGOLINI

FOROSEMPRONII EPISCOPO







FOROSEMPRONII 1837

TYPIS PHILIPPI ROSSI

Impress. Episc. et Comun.



PRAEFATIO

Dum aggredimur ad refellendum quod pseudo juris publici Professores ementiti sunt, exitiales doctrinas profligandas sumimus, quas iidem (dicere fas sit) duobus, et ultra ab hinc sæculis in medium protulere, et quarum in Scholis, nec non in Universitatibus ubique extitere quam plurimi propugnatores, circa *originem* videlicet, *naturam*, et *finem* societatis, ac Principatuum. Interim certum est, etiam per adversarios, quod nomine *Societatis* hic venit hominum unio sub aliquo imperio, jure nimirum actiones humanas dirigendi, ac determinandi ad certum finem; quodque *Principatuum* nomine (italice gli Stati) intelligitur magna hominum multitudo sub imperio summo constituta. Neque quoad hoc aliqua lis esse potest; omnes enim con-

sentiunt, societatem *proprie sumptam*, sive circumscriptam velimus in familiis, sive latius patere in Regnis, atque Imperiis, secum necessario ferre hinc jus imperandi, illinc parendi debitum, seu quod idem sonat, ut hinc libertas sit, illinc servitus; hinc independentia, illinc subjectio.

Jam vero non eodem tempore, sed sensim dcctrinæ illæ in lucem editæ sunt, deinde paullatim invaluere, atque longe lateque manarunt. Prima earundem semina quadam methodo jecere (et fortasse id minus cogitantes) veteres publici juris consulti, scilicet *Bodinius*, *Hobbes*, *Grotius*, *Sidney*, *Loke*, *Puffendorf*, (ab anno 1560 usque ad 1672) aliique Scriptores *Protestantes*, presertim Alemanni, sese *Instauratores* Juris Naturalis jactitantes. Et re quidem vera; quamvis hi dominationem, et servitutem a natura inditam in familiis agnoverint, patriam nempe potestatem in filios, atque nepotes, ac etiam Mariti in uxorem, ideoque domesticæ societatis existentiam e naturæ ordine ac cursu confiterentur; attamen quia præventi, præoccupatique specie *civilis* societatis illius, quæ Romæ diu mansit, illiusque Reipublicæ, ex qua vere communitas, civilisque societas coalescebat, atque nimio etiam in jus Romanorum affecti obsequio, sibi hominum

primitivum statum, quem *naturæ* vocant, statum scilicet absque supremo imperio, seu dominatione effingentes, docuere, Regna, Imperia, uno verbo Principatus constitutos fuisse ex patrumfamilias unione, contractuque sociali, in quo cives propriæ ac individuali libertati, seu independentiæ pro publica felicitate ac salute renunciantes, uni tantum, aut pluribus satis auctoritatis contulerunt, ac delegarunt, *civilem* ita potestatem, dominatumque instituendo, a quo cæteros omnes pendere oporteret. Quapropter iidem Scriptores tenent omnia Regna, Imperia, ac Principatus humanæ institutionis, seu *civiles*, atque *factitios* initio fuisse, eosque propterea a naturali familiarum societate discretos; ea ducti ratione, quod absque propriæ libertatis, seu independentiæ, quæ a natura est, abdicatione, contractuque sociali, neque Principatuum existentia posset explicari, neque ulla eorum distinctionis nota, neque cuncta officia inde emanantia, atque exurgentia, neque jura omnia, ab iisdem Scriptoribus, *majestatis*, et *imperii* jura nuncupata qualia per ipsos sunt *jus ferendi leges*, *pœnas sumendi*, *judicandi*, *gerendi belli*, *pacisque constituendæ*, *Magistratuum*, *Ministrorumque deligendorum*, *vectigalia exigendi*, hisque simi-

lia: quamvis ad hæc omnia explicanda sat esse potuisset naturam consulere, ac super eam, ejusque physicas moralesque leges, tamquam super arcem firmissimam politicæ scientiæ jacere fundamenta; et quamvis in Imperiis nonnisi sociales *relationes naturales*, a natura scilicet ordinatas inspicere, ac agnoscere debuissent, potius quam naturam ipsam negligendo, societatem effingere, quæ ab arbitraria hominum conventione repetenda esset, quæque *civilis* appellaretur.

Id eorum acri prudentia videbantur assequi potuisse recentiores se Philosophos politicos nuncupantes, cum se se jactent, eo (mira scientiæ luce progressu temporis clarescente) devenisse, ut ima, atque penitus recondita naturæ perspexerint, cuncta aperuerint arcana, ejus proprietates agnoverint, vim omnem perpenderint, omnesque effectus edocuerint.

Verum, nequaquam in eadem natura, illiusque legibus invenientes rationes illas, naturalesque causas, ex quibus prodiere, semperque prodibunt, (hominum artificialibus institutionibus exclusis) nedum societates domesticæ, sed etiam Regna, Imperia, ac Principatus omnes; Philosophi recentiores, inquimus, præcipue *Montesquieu*, *Rousseau*, *Martin*, *Sonnenfels*, *Scheidemantel*, *Schlosser*, *Sieyes*, aliique plurimi (ab anno 1748

ad 1797) inania prorsus captantes, pervadentesque tenebras ignotæ, fabulosæ, absurdæque vetustatis arbitrantur, hominum statum *naturæ* extitisse non modo sine imperio, vel auctoritate summa, sed absque ulla dominatione, ideoque naturæ statum ejusmodi, qui nulla omnino societate constaret, et in quo *universa* foret *æqualitas*, *perfectaque libertas*, seu *independentia* ab humano jussu, lege, ac potestate; ita ut in eo statu nulla servitus esset, nullaque dependentia unius ab alio. Falso hinc edocentes, in primis Mundi ævis, homines ab eo statu *omnimodæ libertatis*, atque *independentiæ* ad statum dependentiæ, ac subjectionis transisse ope pactorum, conventionum, ac privatæ potestatis delegatione, vel saltem tacito in aliorum imperium consensu; consequenterque simul edocentes, singulas societates, vel circumscriptas, vel latiores, vel *particulares* ac *privatas*, vel *publicas*, ut eas vocant, ortum ab humana institutione duxisse. Adeo iidem Scriptores abfuerunt a domesticis societatibus, Imperiisque agnoscendis, que a generalibus, necessariis, et immutabilibus naturæ legibus, uno verbo, a *rerum natura*, uti demonstrabimus, repetenda sunt.

Hujusmodi hypothesi status naturæ sive partim, sive in totum extra societatis ordi-

nem, seu statui sociali oppositus, juxta duas recensitas opiniones, alteram quoque tam antiqui fere omnes, quam moderni juristæ addidere, hypothesim nimirum *primitivæ*, et ut ajunt, *primigeniæ bonorum communionis*, ita ut in Mundi primordiis homines rebus communiter fruerentur; veluti si ab initio commune dominium, atque proprietas foret, et hæc progressu temporis a conventionibus hominum, collectivisque deliberationibus invecta, et instituta. Quod si insuper præfati recentiores Auctores, seu verius sophistæ audiantur, *proprietatem, nuptias, sermonem, societatem, mutuam inter homines independentiam, patris auctoritatem, filii servitutem in pueritia, et ipsa virium inæqualitatem* a legibus, humanisque institutionibus originem duxisse tenendum esset. Hi fere nihil faciendum relinquunt naturæ Conditori. Et mirum equidem est, quod non autument, Solem quoque et Lunam, Stellasque condidisse, quoniam in sociali contractu ejusmodi fuisset conventio, ut hæc corpora civibus inservirent, eisque præluceren t.

Hisce freti ideis, seu verius finctionibus atque phantasmatibus, utrique juris publici consulti docuere, consociationes humanas non *simplices*, atque *successivas* fuisse, uti nos demostrabimus, sed *simulta-*

neas, *collectivas*, totidem *conventus civiles*, atque politicas communitates, totidem uno verbo respublicas, seu *Civitates* (hac enim voce venit per eos multitudo hominum, qui in rem publicam coalescunt) penes quas supremum *collectivum* imperium, et independentia sit; unde asserunt nihil reipsa differre inter unius, aut multorum dominatum, hoc est nullum essentiale discrimen intercedere inter *Monarchiam*, et *Rempublicam*; ita ut nunquam Reges, aliique Principes absoluti esse possent, quibus summa foret *personalis* potestas, sed *Communitates* tantum, civiumque coetus, sicuti olim fuit apud Romanos.

Cum in scholis, veluti fundamentum societatis, atque Principatuum, demum Juris publici, hujusmodi hypotheses primitivi *naturæ* status plus minusque statui sociali oppositus, nec non contractus socialis, atque delegationis individualis libertatis, ut pseudo Philosophi opinantur, habitæ sint, id erat expectandum (quod profecto præfati veteres jurisconsulti non intellexere), ut a nostræ ætatis publici juris expositoribus talia consectaria evolverentur, quæ procul dubio nedum Principibus, totæque Humanitati exitiosa quam maxime forent, sed et horrorem injicerent, atque trepidationem.

Ex hisce revera fontibus emanarunt doctrinæ, nempe illorum potestatem, qui Statui præsunt, minime per hæreditatem transmitti (licet aliter ab historiis colligatur) populoque semper jus fuisse iterum eam sibi vindicandi, quoties Princeps abuteretur, aut a conditionibus essentialibus recederet in sociali foedere sancitis.

Hinc supremam potestatem, seu dominationem, vel saltem ejus originem in populo sitam esse, idest in subditorum universitate, propterea quod ipsi, una coeuntes, alteri potestatem deferentes, propriamque abdicantes libertatem, Statum, seu Principatum constituere, erexerunt, fundaruntque, et idcirco, ajunt, populum universum, ejus *massam* verum Principem, verumque Dominum, et demum Regem haberi oportere, in quo quidem omnis *majestas* insideat.

Hinc supremos Dominatores ita habendos, et ad eam redigendos conditionem, ut veluti *instrumenta, ministri, famulique* id exæquantur, quod ad Ditionis, seu Imperii administrationem populus mandat: quicumque enim, inquiunt, (et non immerito) potestatem ab alio recipit, illi subjiciatur necesse est omnino.

Hinc cum Principum auctoritas a populo commissa sit, ipsos nequaquam uti debuisse,

nisi ad ejusdem populi, et singulorum rebus consulendum, non autem ad seipsos, aut sua tuenda negocia.

Hinc Principes nihil proprii possidere, sed bona, omnesque eorum proventus æque a populo proficisci, ita ut reipsa Nationis sint proprietas, et tantum tributa sive directa, sive indirecta, quæ a Principatus membris, seu civibus, ac sociis conferuntur.

Hinc legem nequaquam esse voluntatem Principis, seu Capitis *factitii* Status, sed *singulorum subditorum omnium voluntatem* universorum consensione expressam; ita ut ipsa lex æque a populo, vel ab iis, qui populum repræsentant semper edenda sit; namque, asserunt, civem non nisi *propria*, atque *individuali*, aut *totius communitatis voluntate* jure, ac recte obligari posse.

Hinc originem, et typum unice justum, ac legitimum humanarum consociationum, socialem fuisse contractum; et Principatus, initio non nisi Respublicas, seu Status populares, ac democraticos esse potuerint, quacumque Monarchiæ specie seclusa: impresentiarum autem nihil aliud esse, quam respublicas sub alia forma a primæva eorum origine degeneres.

Hinc unumquemque Statum, ac Regimen, publicarum rerum tantum forma constitui

debere, et *Constitutionem*, qua Status universi coalescere debent, non aliud appellari, quam *ingentem machinam politicam, artificialem, publicum Institutum* a Natione conflatum, ad eum, quem sibi proposuit, finem consequendum; qualis est, per eos, negociorum suorum incolumitas, securitas, nec non libertatis, aliorumque naturalium jurium singulorum civium tutamen; quoties hæc *machina politica* populo minus sufficiens, et imperfecta videatur, ei licere illam immutare, vel aliter construere; et cum potestas summa tantum commissa, et legata Principi sit, populum eam revocare, ac vindicare posse, quotiescumque id justum arbitretur, aliisque demandare; quum præsumi nequeat, ajunt (et merito) quod sibi Rectorem seu supremum Caput delegerit, hac conditione neglecta; nec etiam quod una generatio posset venturas generationes ad servitutem damnare, quæ illam perpetuo suorum Prædecessorum subderet voluntati, idque, etiamsi regiminis mutationem rationes, causæ, ac necessitates de novo exortæ populo suaderent.

Hinc cum Status nequaquam conformes nunc reperiantur superius allato typo *unice* legitimo humanarum omnium consociationum, omnes injustos videri debere, et Monarchias, Respublicasque, quæ extiterunt, et adhuc

sunt, omnes profecto, absque ulla exceptione, putandas injuste, et violenter assumptas.

Cum huc usque hæc inferantur, edocere non puduit, nullum esse crimen insidias Principibus moliri, imo necesse, præmioque dignum fore, hujusmodi rerum ordinem injustum omnino propulsare, ut, juxta recentiorum Philosophorum doctrinam, modo existentes reformentur Status, atque ad eorum primævam originem perducantur, unde *unicum legitimum fundamentum*, *unicus*, *legitimusque typus petendus est;* vel saltem huc sensim admovere, archetypa idea *socialis contractus* inspecta, atque retenta. Cœtera omittimus corollaria tam *theorica*, quam *practica* a rerum novarum studiosis deducta, tum ne lectorem plurimis moremur verbis, tum quia in harum institutionum decursu passim incidet mentio.

Jam vero, quænam doctrinæ, et systemata, quæ plus his et terrorem injiciant, et exitium inferant, atque perniciem, et quæ detestabiliora sint, omnemque societatis ordinem subvertant, effingi possunt! diutina, tristique experientia edocti, id sensimus; et ubicumque gentium perficere licuit, quod Pseudo-philosophi hisce theoriis imbuti suppeditant, fortunarum, et vitæ ablata securitas

fuit, et alterum, maximumque societatis bonum surreptum, pax scilicet, et tranquillitas: inter familias exorta dissidia: inter gentes seditiones: dissensere Principes: subditi a Regibus descivere, humanumque genus malorum tempestate, omniumque ærumnarum congerie confectum et lacrymas dedit, victumque œgritudine ingemuit. Evidens igitur necessitas est hisce obsistendi doctrinis, eas funditus evertendi, evellendique radicitus, ut tandem aliquando species societatis, statuumque, qui conventionibus, contractuque sociali constitui dicuntur, penitus evanescat; quin verba faciamus de necessitate easdem doctrinas, seu idem pseudum philosophicum politicum systema refutandi, ac evellendi ob relationem ac connexionem, quam habet, proh dolor! cum Religione, presertim Christiana. (1)

Plurimi equidem docti, et præstantissimi viri, rejecta perduellium theorica nullo fun-

---

(1) *Super hactenus dictis fuse videndus est De-Haller Tom. I. per totum; et a nobis editum - Catechismo contro rivoluzionario politico, pag.* 48. *Fossombrone per Rossi e Lana* 1836.

damento suffulta, jampridem hanc præsensere veritatem, in quorum numero recensentur *Cumberland*, qui primus obstitit *Hobbes Filmen*, sub titulo Patriarcha, *Graswinkel*, *Mandalin*, *Quesuel*, maximeque *Bossuet*, qui eam, uti PROTESTANTISMI germen, fulmine perculit, *Wialand*, *Scossear*, *Albertus De-Haller*, aliique plurimi; sed fateri oportet (sub fide eximii, nobilissimique viri Caroli Ludovici De-Haller) fateri, inquam, oportet, ut veritati debitus adhibeatur honos, horum prudentium, æque aliorum contentiones neque adeo validas, nec satis completas fuisse, et imprimis omnimoda, solida, methodicaque caruisse doctrina, qua commentitiæ obsisteremus. Idem defectus (subdit Haller) multis Scriptoribus communis visus est, qui, Gallorum rebellione debacchante, aut contra eamdem pugnarunt, aut contra principia, et ea, quæ consequuntur. Ipsi nihil aliud in systema Philosophicum adhibentes, nisi arma, quæ historiæ suppeditant, demonstrarunt utique, socialem contractum numquam extitisse; at quod nec *potuerit*, nec existere *debuerit* nullis argumentis tradiderunt. Pariter nil aliud ipsi nisi particulares consecutiones, non autem principia effectusque exitiosos, nec erroris stirpem appetiere. Demum non eam integram attule-

re doctrinam, quæ ad rem perbelle quadret, quæque legitima quadam, methodicaque ratione originem, naturam, usumque supremæ declaret potestatis, et quæ animadvertenti res præferat, uti revera sunt. (1)

Huic tamen duplici defectui scientiæ politicæ remedium attulit præstantissimus, nobilissimusque vir Carolus Ludovicus De-Haller opere quidem admirabili, quod inscribitur - Ristaurazione della scienza politica, ovvero teoria dello stato naturale sociale, opposta alla supposizione di uno stato civile fattizio - In hoc autem tanta congreditur ope, atque ita recens systema pseudo-politicum victor petit, ut funditus evertat, ea invinci: biliter, et sapienter statuat, quæ vera sunt, illasque de medio difficultates auferat, quibus supremæ origo potestatis, seu imperii summi, uno verbo Statuum jurium, officiorum, suique usus legittimi oppugnari adhuc potuisset. Eo usque tanti ingenii acies pertingere valuit. At dissimulari nequit (absit tamen, quod velimus aliquid de summi viri laudibus detrahere, qui ad honoris apicem merito evectus est, et scientiæ politicæ do·

(1) *Vid. De-Haller Tom. II. c. 2.*

ctrina præstitit inter cæteros) nequit, inquam, dissimulari, cum, quæ tractanda suscepit, latissime pateant, novaque sint, cum eo mentem intenderit, ut viros hisce rebus instructos alloqueretur, et tanta emineat sermouis, et ingenii magnitudine, non protulisse intellectu facilia, quibus præcipue animi adolescentium imbuerentur.

Quamobrem ad Societatis, et simul Humanitatis causam tuendam, necesse profecto erat, ut confutatio systematis *ita habiti* juris publici Philosophici summatim collecta, et quantum fieri possit, dilucida proferretur, et scholastica institueretur methodo, ad veritatem in Scholis, unde mendaces doctrinæ prodierunt, perhibendam atque firmandam; nec non evellenda zizania, erroremque propulsandum. Id nobis peragere hisce institutionibus destinatum in animo est, innixi laudati Haller doctrinis, quarum locos in medium ponemus, ubi proposito cohæreat. *Quo vero* ordine, quaque forma id peragere designemus, post sequentes prænotiones, seu prolusiones indicabimus.

INSTITUTIONES

JURIS SOCIALIS NATURÆ

AD USUM SCHOLARUM

ADVERSUS

PSEUDO-JUS PUBLICUM PHILOSOPHICUM
JUXTA THEORIAM STATUS NATURALIS SOCIALIS
OPPOSITAM HYPOTHESI STATUS CIVILIS FACTITII

PRÆNOTIONES

Status hominum, Libertatis, Aequalitatis,
Societatis, Juris, Obligationum,
et Officiorum, eorumque divisionibus.



Cum a status hominum diversitate, ac differentia, quam Pseudo-Philosophi, Juristæ, ac Politici effingunt, diversas tam *libertatis*, tam *æqualitatis*, tum *societatis*, tum *juris*, tum *obligationum*, tum *officiorum* species, ac divisiones hauriant, atque deducant; ideo circa omnia hæc generales quasdam notiones præmittere necessarium, vel saltem opportunum existimamus, ne varius vocabulorum sonus ac sensus Juvenes turbet aut confundat, sed potius cujuslibet ambiguitatis occasio tollatur, et ad totius tractatus, seu ma-

teriæ intellectum statim ab initio aperiatur via.

§. I.

De statu hominis

Hominum status nequaquam hic sumendus est cum Theologis, quatenus est - *certa quaedam conditio, seu modus, se habendi naturæ humanæ relate ad ultimum finem secundum divinæ Providentiæ ordinationem.* (1) Neque hic quærendum, an possibilis fuisset *status naturalis*, seu *naturæ puræ*, an scilicet Deus potuisset hominem creare, quin per gratiam sanctificantem eumdem elevaret ad finem supernaturalem, visionis nempe beatificæ, seu intuitivæ. Nos humanam naturam praecipue inspicere ac perpendere debemus (ut ex harum Institutionum inscriptione, seu titulo satis clarescit) relate ad hominum consociationem, prout videlicet homo in sui creatione quibusdam legibus determinatus fuit ad certam vitæ rationem, seu certum mora-

---

(1) *Vid. Saradgna Instit. Theolog. Controvers. de Stat. hom. et Piccad. par.* 224.

lium actionum genus erga se ipsum, magis vero erga alios homines ad hoc, ut unio inter ipsos, hoc est Societas haberetur, ac in debita ordinatione ea pro temporali felicitate servaretur.

Hisce igitur præmissis, status hominum *generice* sumptus recte cum Heinnecio, aliisque definitur – *Qualitas, per quam unaquæque res limitata est* – *Qualitates* ergo per quas limitatur, seu determinatur homo, et *status* hominis, sunt profecto unum, et idem. Hinc si qualitates hujusmodi hominis essentiam seu constitutionem respiciant, *statum* hominis *physicum* exhibent; Si vero actiones hominum liberas respiciant, *statum moralem* hominis denotant. (1) Neque de hujusmodi limitatione, ac determinatione ullimode dolendum, cum nedum metaphysicum, verum, et philosophicum axioma sit quod – Quidquid existit (in creatis) determinatum est, circumscriptum nempe, ac limitatum. (2)

---

(1) *Elem. Jur. nat. et Gent. lib.* 2. *c.* 1. *f. m.* 346. *Zalling Tom. I. paragr.* 3. Norc. *par.* 10.

(2) *Franc. Norc. I. N. et G. Instit.* §. 10. *Romae* 1830.

Quod statum moralem attinet, de quo præcipue nobis disserendum est, idem Heinecius Puffendorfii definitione, tanquam minus accurata, rejecta, statuit esse *qualitatem, seu conditionem, secundum quam homo ad certa officia obstringitur, certisque juribus fruitur.* (1) In hac generali moralis status definitione omnes Juristæ tam veteres, quam recentiores conveniunt. (2) Neque circa eam dissidium ullum, ullaque contentio dari potest; cum certum sit, quod homini, utpote substantiae intellectivae et rationali liberae, in quocumque statu positus reperiatur, aliqua ei competere debent jura, et quædam incumbere actiones, seu officia. Omnis disputatio initium sumit a status moralis hominum subdivisione, ac subdivisionibus, quas Juristæ falso edunt, ratione scilicet diversarum legum, quibus pro statuum diversitate diversimode homines

---

(1) *De Offic. hom. et civ. lib.* 2. §. 1.

(2) *Ut Schwarz Instit. Jur. Pub. Univ. Nat. et Gent. Epit. part.* 2. *tit.* 2. *Bohemer Jus. Nat. et Gent. Tom. I. lib. V. Zalling. Instit. Jur. Nat. et Pub. Tom. I. Piccadorus Ethicae, seu moral. Philosoph. Instit.* §. 224. *Rom.* 1828. *Norcia loc. cit.*



dirigi, atque obstringi autumant. Supponunt nempe diversos morales hominum status, atque tuentur, quod homo in uno statu, uno, in alio statu, alio legum genere devinciatur, atque regatur. Hac equidem de causa Heinneccius, juxta alios, statum moralem dividens ait - vel est *connatus*, vel ab aliquo hominis *facto* pendet; ille vocatur *naturalis*, vel, ut alii dicunt, *primogenius* ac *primitivus*; hic *adventitius* seu *superveniens*. Utrumque describit dicens, quod status naturalis - *est qualitas hominis ab ipsa natura imposita, in qua ejus liberæ actiones lege naturali limitantur.* (1) Status adventitius est *qualitas ab hominis facto electa per quam actiones ejus liberæ secundum status exigentiam, lege positiva, sive divina, sive humana limitantur.* - Clarius, licet perperam, status adventitius a Schwarz definiebatur - Qualitas, seu conditio, quæ homini ex *facto* aliquo, seu *proprio*, seu *alieno*, libertatis congenitæ *restrictivo* supervenit, eumque ad distincta, quædam officia,

---

(1) *Elem. I. N. et G. lib.* 2. *cap.* 1. *f. m.* 346. *De offic. hom. et civ. lib. II. paragr.* 1.

indeque manantia jura determinat - Si ex: gr:, prosequitur ipse, homo sua sponte sese alteri addicat, seu mancipet, dicitur esse in statu adventitio libertatis congenitæ restrictivo *per factum proprium*; si vero invitus per factum quoddam alterius mancipetur, ut captus in bello, dicitur esse in statu adventitio libertatis congenitæ restrictivo *per factum alienum.* (1) Non aliter sentit inter recentiores Juristas Zallinger, qui, uti moralem naturalem illum nuncupat, quem homo a natura obtinet, nullo accedente hominis facto, instituto, ac voluntaria Dei Lege; sic e contra adventitius per eum est, qui ex hominis facto, vel instituto quodam, aut voluntaria Dei Lege supervenit. (2) Hujus status adventitii exempla omnes præbent in statu, seu societate *conjugali*, *paternali*, aut *paterna*, *hærili*, *familiæ*, et *civili.* (3) de quibus sermo erit infra, ubi etiam alias adventitii status subdivisiones, seu species, quas adversi Scriptores lubenter cumulant, videbimus. Eadem de causa hæc ha-

---

(1) *Pars. II. Tit. I.*

(2) *Tom. cit. pargr. III. n.* 1.

(3) *De Offic. lib.* 1. *Cap.* 7. *par.* 2. *et lib.* 11. *Cap.* 1.

bet Piccadorus - *Status moralis nomine intelligitur illa humanæ vitæ conditio, in qua homo vel perpetuo, vel ad certum tempus constitutus est ad certum moralium actionum genus obeundum.* Quamvis autem sit multiplex, omnes tamen ad tres facile revocantur, scilicet naturalem, civilem, et Gentium. Status naturalis . . . . . . prout distinguitur a politico, seu civili, definitur: - *ea vivendi conditio, in qua homo primitus positus fuit solis naturæ, ac divino positivis legibus obstrictus* -; ad differentiam status civilis, qui definitur: - *ea vivendi conditio, quæ multiplicatis hominibus, natura ipsa suadente, introducta est inter homines, et subjectionem importat nedum naturalibus et positivo-divinis, sed etiam civilibus legibus* -. Denique cum non omnes homines, qui ad civilem statum transierunt, unam eamdemque civilem societatem constituerint, sed plures a se mutuo indipendentes, quæ Nationes, et Gentes dici sueverunt; hinc status gentium ortum habuit, qui definiri potest: *ea gentium vivendi conditio, in qua ipsæ solis naturæ, ac divino positivis legibus obstrictæ sunt* - præscindendo nimirum

a mutuis particularium gentium pactis, et conventionibus. (1)

Quaenam sint Jura, quaeque obbligationes, et ut idem sonant, quaenam sint proprietates status naturae ab adversariis excogitatae, jam jam explicabimus. Interim autem tria statim hic animadvertere summopere juvat; quod scilicet nos, spreta distinctione *primitivi* status *naturœ* (plus minusve extra socialis) et *successivi* status *socialis* ex facto, sive instituto hominum ab iisdem adversis scriptoribus inventa; nec non spreta ac rejecta exinde (in hac re) distinctione (quam non pauci Juristae *essentialem* ac *propriam* defendunt) inter jus *naturale privatum*, *civile*, ac *gentium*, unicum statum moralem, et hunc *naturalem* quidem, sed simul *socialem*, in sensu infra explicando, admittimus; quod per nos quaelibet societas, sive parva, sive magna, ortum habuit, non ex hominum artificio, lubidine,

---

(1) *Instit. cit. parag.* 224. *et* 225. *Idem sentit Norcia eum caeteris omnibus adversis Juristis Instit. cit. Lib.* 1. *Cap.* 1. *et Lib.* 11. *cap.* 3. *Heinnec. Elem. juriscivilis par.* 30. 31.

institutis, ac inventis, sed vi ac virtute naturalis, ac proinde universalis *charitatis* seu *amoris*, qua homines moventur, atque impelluntur ad se mutuo diligendos, ac mutuis auxiliis se adjuvandos; quodque totum, ac quodlibet sociale aedificium, jure privato, duobus nempe universalibus naturalis legis praeceptis, *justitiae* nimirum, et *benevolentiae* regitur, ac in debito ordine servatur. Haec est idea fundamentalis, hic axis, hoc centrum, haec summa, uno verbo, totius nostrae theoriae, ut ostendemus. Patebit quoque, in nostro systemate statum adventitium, ex facto hominis nimirum, sive proprio, sive alieno, primigeniae libertatis restrictivo, nequaquam admitti, nisi hoc in sensu, quod homini nova jura, aut novae obligationes superveniant ob conventiones *particulares*, ac *individuales*, non autem *simultaneas*, aut *collectivas* ab adversariis inventas.

§. II.

De Libertate

Inter Status naturae jura, seu proprietates enumeratur *libertas*, de qua hic, *et aequalitas*, de qua in sequenti paragrapho. Natura omnes sumus *liberi*, (nimis indefinite et

absolute ajunt Adversarii) natura omnes *pares*, seu *aequales*; idque adeo, ut status naturalis per ipsos opponatur statui sociali, seu illum excludat. Rem de facto sic explicant. Status naturae considerari, seu accipi potest, vel qualiter homo *erga se ipsum affectus est*; vel *prout ad alios homines se habet*. Status naturalis primo sensu acceptus per eosdem adversarios est status *extra socialis*, quo nempe homo extra societatem aliorum hominum vivit, ac proinde absque ulla dependentia, ac connexione; seu quod idem est, absque ullo superiore praeter Deum, et absque ullo inferiore, aut subdito praeter creaturas. (1) Hominem extra aliorum hominum societatem Puffendorfius in majori suo opere describit fingendo hominem solum, aegenum, nudum, in hoc orbis theatrum projectum, unde colligit, tunc futurum fuisse animal miserrimum. Cum plures ex

---

(1) *De Offic. Lib. I. Cap.* 3. §. 2. *et Lib.* 2. *Cap. I.* §. 2. *Quomodo adversarii inter jura status naturae recenseant* jus belli, *multo post videbimus, ubi nempe de Principum juribus, quae ipsi jura* majestatis *appellant, agemus.*

fictione offenderentur, illud mutavit, et ad miseriam hujus status demonstrandam in opere minori describit hominem, qualis nascatur nudus, aegenus, omnium indigus, qui nec edere per se possit, nec frigus pellere, nec vitam conservare, inter paucas horas periturus, si aliorum ope destitueretur. Heinnecius, Puffendorfii descriptionem seu fictionem non improbat, sed ait quod - quamvis haec vera sint, potest tamen hic status extra socialis melius cognosci, si sistamus nobis, vel Adamum, dum solus in hoc Mundo vixit, erat is conditus ad imaginem Dei, et tamen Deus statum solitarium non perfectum esse fatetur, dum (Geneseos 2. v. 18.) dicit non convenit Adamum esse solum; vel hominem naufragio in insulam incultam, vel locum desertum projectum, qui tunc miserrimus futurus esset in ea solitudine, indigus, ad omnia expavescens, tuta omnia timens. (1)

Fictionem hujusmodi non pauci scriptores Juristae, ac Philosophi edunt, inter quos Joannes Baptista Vicus qui affirmat, homines post diluvium dispersos per familias fuisse, dein-

---

(1) *Heinnec. loc. cit.* §. 4.

de vero, et ipsas familias in homines singulos separatas esse, atque diremptas. En preclaram facti hujus explicationem: *Per hanc,* inquit, (qua mente nescimus) *ingentem terrarum sylvam tam Chamitidas, quam Japhetidas hac ratione in solitudinem distractos esse necesse est; quod saepe viri a foeminis, faeminae a viris, pueri filii a matribus, matres a filiis pueris, ut feras effugerent, dividerentur, et ita sensim minores a majoribus ob ferarum metum relicti, vel abacti, sic dispalati, solique, prius omnem religionem, deinde omnem linguam, tandem omnem humanitatem exurdaverint, et in brutam licentiam, ac errorem ferinum obierint.* (1) Qui status *mille annos* (ut *subdit* ipse) *duravit.* Dunius vero, qui Vicum sequitur, eumque *Philososophorum omnium Magistrum* vocat, Juris gentium originem explicaturus principio ponit homines aliquando vixisse in statu quodam *ferino atque bestiali.* Status iste, ut ex ejus verbis colligitur, complectitur quatuor, vel quinque; nimirum *vitam solitariam, concubitus*

---

(1) *De Const. Philos. cap IX. pag.* 56. *Neap.* 1720.

incertos, *et vagos*, *linguae formatae carentiam*, *mentem solis ideis materialibus instructam*, *et cujusvis vivendi regulae privationem*. (1) Mirum vero, ait Finetti, inveniri homines eruditos, et doctos, qui serio sibi persuadeant, aliisque persuadere nitantur, integrum genus humanum (Judaico populo, quem speciali Deus providentia regebat, excepto) in statu tam misero unqnam fuisse; quasi homines fungorum instar e terra emersisse arbitrarentur, vel coeco atomorum concursu formatos, et in varias Mundi partes fuisse projectos. (2) Por-

(1) *Specimen. Jurisprud. univers. Lib.* 8. *Cap.* 2. *Saggio sulla Giurisprudenza Universale . . . . . tratta da Emanuelle Duni Professore di Giurisprudenza nella publica Università de studj di Roma. In Roma* 1760.

De faerinis hominibus illis ita ait Vicus in Scientia nova pag. 5. *Non aveano altro*, *che la sola facoltà*, *e pur tutta stordita*, *e stupida di potere usare umana mente*, *e ragione*.

(2) *Tom.* 2. *Lib.* 12. *Cap.* 6. *ubi hujusmodi doctrinam tamquam erroneam*, *ac fere impiam refellit.*

ro hi adversarii omnes status naturalis infelicitatem exagerant adeo, ut exinde colligant, quod homines in eo statu vivere nequissent, et idcirco societate *factitia* indiguissent, sicque a statu *extrasociali* ad statum *socialem*, ope pactionum, ac conventionum collectivarum, transire necesse fuerit omnino.

Joannes Jacobus Rousseau, quem nonnulli hodie sequntur, admisit primitivum statum naturae extra socialem ita, ut, ille esset non solum solitarius, sylvestris, et brutalis (et tamen per ipsum felicissimus) sed insuper anti-socialis, adeo quod status socialis naturae hominis contrarius sit, hisque homines infelices prorsus reddat. (1)

Jam vero satis ex dictis apparet, quod in hypothesi hujuscemodi naturalis status extrasocialis unus ex juribus, qui homini in eo competeret, consisteret in libertate, et quidem plena, ac perfecta, in facultate scilicet agendi omnia suo arbitrio, independens ab

---

(1) *Emil. edit. Amsterdam* 1766. *Discors. sopra l' orig. della ineguaglianza fra gli uomini. Collect. des Ovres de Rous. Tom.* 2. *pag.* 73. 74. 75. 76. 78. *Ediz. di Newchatel* 1775.

omni subjectione, praeterquam quae debita Creatori, ejusque legibus (libertatis nativae *perfectivis* potius, quam *restrictivis*) (1); neminem enim haberet superiorem praeter Deum, et neminem quoque subditum praeter creaturas. Obligationes autem essent primo, ut, quia solum Deum superiorem agnosceret, etiam ad Dei voluntatem, per legem naturalem manifestatam, se totum componeret: secundo ut, quia extra societatem aliorum hominum vivit, suam conservationem unice intendat, adeoque se conservet pro virili, se alat, se non occidat etc, qnasi quod lex naturalis nihil hominibus ad invicem imponat.

Status naturalis in altero sensu ab adversariis accepto, inspiciendo nempe hominem *prout ad alios homines se se habet*, status naturalis opponitur reipublicae, seu Civitati, cujus nomine venit *civilis* ac *factitia* societas cum summo communi imperio; et quod in idem recidit, est status, qui societatem publicam *civilem*, ut vocant, humanum imperium summum, communem imperantem in terris excludit. Hujus quoque status, quem adversarii insuper fingunt ut quid tale fin-

(1) *Schwarz. Proleg. part. 2. tit. 2. §. 1.*

gunt Poetae de Centauris, et Thracibus. (1) jus est libertas; ubi enim nemo est imperans, ibi nemo cogit ad aliquid faciendum, vel omittendum; ast ubi nemo cogit, ibi adest libertas (2); et hic status reapse existit, ut ajunt, si consideremus diversos imperantes, ac diversos populos liberos, idest mutuo independentes, qui nullum dominum, nullum neque proprium, neque communem imperantem in Mundo agnoscunt, quique propterea in statu naturali vivere dicuntur. (3) Hujus rei occasione silentio nequaquam pretermittenda est libertas, qua gaudent summi imperantes, quaeque *politica* dicitur. Eam adversarii *civilem*, seu *factitiam* appellant, utpote quae in eorum sententia competit uni, vel pluribus ex sociis, ac civibus ad summum imperium, supremamque potestatem evectis.

Praeter hactenus expositam naturalem libertatem, seu independentiam, adversarii admittunt quoque libertatem illam, quam *jurisgentium* nuncupant; qua nempe quis de jure naturali nedum, sed etiam de jure gen-

(1) *Heinnec. Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 6.
(2) *Hein. dict. Lib. et cap.* §. 4. 5. 6. 8.
(3) *Hein. loc. cit.*

tium nullius domestico dominio subjectus est, eaque omnes homines gaudere censent, quia nemo, per ipsos, in nullius domestico dominio, nemo mancipium est; cui libertati per ipsos opponitur *servitus*, quae vel *pactitia*, seu *voluntaria*, et *legalis* seu *necessaria* est, de quibus suo loco sermo erit. (1)

Tandem nonnulli recentiores, ac hodierni sophistae audacter aeque, ac stulte Dei existentiam negantes, libertatem, seu exemptionem seu independentiam a lege naturali, ac divina defendere non erubescunt.

§. III.

De Aequalitate

Recensitae naturalis libertatis, seu mutuae independentiae effectus quodammodo haberi potest *aequalitas*. Etenim in statu naturae non est, inquiunt adversarii, nec superior, nec imperans, nec inferior, nec subditus; ast ubi non est neque imperans, neque superior, neque inferior, neque subditus, ibi

(1) *Hein. loc. cit.* §. 8.

profecto est aequalitas inter homines (1) Haec igitur aequalitas consisteret in aequali exemptione et immunitate a subjectione hominis erga alios, ab omni scilicet voluntate, lege, potestate humana. Aequalitatis nomine intelligi etiam potest naturalis *aequalitas moralis*, aequalitas nimirum *jurium*, et *obligationum*. De hac sic discurrit Piccadorus - Societas, ad quam natura pri-
„ mitus homines destinavit, non politica
„ fuit, et civilis, haec enim . . . . . suc-
„ cessu temporis, vel ex immediato Dei jus-
„ su, vel ex immediata hominum conven-
„ tione, natura ipsa monente, introducta est,
„ sed moralis aequalitatis, et mutuae inde-
„ pendentiae (excipimus tamen naturalem
„ dependentiam uxoris a viro, et filiorum
„ a parentibus). Cum enim omnes omnino
„ homines (quamvis in accidentalibus plus,
„ minusve differant), in essentia, seu natu-
„ ra conveniant, omnes profecto eadem ab
„ illa jura, easdemque obligationes hausisse
„ dicendi sunt. At moralis aequalitas, et mu-
„ tua independentia in jurium, et obligatio-
„ num identitate consistit. Quamvis ergo non

---

(1) *Hein. Lib.* 2. *Cap.* 1.

„ omnes homines eamdem habeant virium „ firmitatem, ingenii subtilitatem, divitiarum copiam etc. omnes tamen ex naturae „ institutione moraliter aequales, et mutuo „ independentes, admittantur oportet: eo ferme pacto, quo duo circuli easdem habent „ essentiales proprietates, ideoque sunt in „ ratione circuli aequales licet unus duplo, „ vel triplo major sit alio. - (1)

Scriptores adversi sermonem habent de aliis duabus *aequalitatis* speciebus; nimirum de *aequalitate physica*, seu *virium*, ac de *aequalitate* seu *communione bonorum*. Pessime, ait laudatus Piccadorus, Hobbesius, et cum eo Spinosa (athei) physicam omnium hominum aequalitatem demonstrare conatur, tum quia quod aliqui robore non possunt, malitia possunt, et per insidias; tum quia omnes, et singuli homines *aequalia* contra se invicem possunt, nempe occidere. Nam I. experientia testatur, aliquos esse homines nedum robore, sed etiam ingenio, et malitia aliis hominibus inferiores: deinde potentia occidendi non aequaliter in omnibus est expedita,

(1) *Piccador*. §. 245.

proindeque in omnibus locum non habet praetensa virium aequalitas. (1)

Quoad *bonorum communionem*, eam antiquitus extitisse non pauci Juristae, atque politici, tam veteres, quam recentiores indubie, licet gratis omnino, asserunt; docent siquidem in prima temporum aetate, ab initio omnia fuisse communia, communemque rerum usum, donec bonorum divisio ex hominum conventione, ac instituto prodiit, atque ita dominium, seu proprietas introducta fuit tum demum, cum res humano generi universo non sufficere viderentur. Hinc juxta eorum sententiam inaequalitas inter homines ab eorum institutione repetenda foret, vel quia inaequalis fuit bonorum divisio, vel quia secuta divisione ob disparitatem virium, ac ingeniorum, inaequalitas bonorum aquisitorum inter homines prodiit. Eam bonorum, seu fortunarum *primigeniam*, ac *originariam*, ut vocant, aequalitatem, ac posteriorem bonorum di-

---

(1) *Piccador*. §. 248. *Heinnec*. *Lib*. 1. *Cap*. 6. §. 1. *aliique omnes supra cit*.

visionem enixe nonnulli defenderunt ac exoptarunt. (1)

Quoad ea omnia, quae tum de libertate, cum de aequalitate annuimus, perutile erit usque nunc animadvertere, nos nequaquam improbaturos esse aut libertatem, aut aequalitatem, sed potius defensuros fore, cum debita tamen, ac necessaria limitatione. Negabimus scilicet libertatem illam *perfectam*, *plenam*, *absolutam*, atque *indefinitam*, quam adversarii, vel in singulis hominibus, vel in omnibus Patribus familias juxta diversas eorum sententias admittunt, quaeque profecto impossibilis est: item negabimus aequalitatem illam *universalem*, quam pariter adversi scriptores naturae tribuunt, vel singulis hominibus, vel saltem Patribus familias. Politicam libertatem quod attinet, eam pariter in Principibus lubenter admittemus, non tamen *civilem*, seu *factitiam*, sed *naturalem*, non ex hominum inventis, sed naturae legibus, ac instituto; enim vero per nos *status naturae* nunquam cessavit, isque fuit, eritque semper socialis, sociali statu factitio omnino

(1) *Vid. nostr.* - *Catechismo contro-rivoluzionario politico pag.* 94.

rejecto. Ex quibus omnibus tandem patebit, parum a veritate abfuisse Schwarz, ubi firmat, quod moralis status hominum naturalis in specie sit - *Conditio hominum, inter se aequalium, neque alterius, quam Creatoris arbitrio* (voluntati) *legibusque subjectorum.* - (1)

§. IV.

De Societate

Morali hominis statui *naturali*, ejusque proprietatibus, Adversarii opponunt *statum socialem factitium* tamquam humano generi necessarium, sed saltem meliorem, (ob rationes infra discutiendas) opponuntque præsertim Civitatem, hoc est, ut supra diximus, societatem *civilem* cum summo humano imperio, seu potestate.

Porro status societatis humanæ, per eos, est status *adventitius*, ac proinde *restrictivus* primigeniæ, ac originariæ libertatis, ea scilicet de causa, quia, inquiunt, societas nascitur ex pacto, seu consensu, et ideo ex *facto*

---

(1) *Part.* 2. *Prolegom. Tit.* 2.

quo homo certis relationibus devincitur. Et sane societas generice sumpta ab iis omnibus fere iisdem verbis definitur, videlicet - *Duorum, vel plurium in eumdem finem, ac in eandem media ad illum obtinendum necessaria conspirantium* - (1) - *Conjunctio, seu consociatio plurium ad communem finem permanentem communibus viribus obtinendum* - (2) *Plurium conjunctio ad eundem finem communibus viribus obtinendum institutas* - (3) Nomine autem virium veniunt vires aut mentis, aut corporis, aut fortunarum, vel plurium, vel omnium ex iis conjunctæ; unde ab iisdem intelligitur una mens, seu sententia, una voluntas, una actio. Exinde autem colligunt, quod hominum societas indistincte loquendo sit *una*, et considerari possit veluti *persona quædam moralis*, quia scilicet in eumdem finem, ac in eadem media necessaria, uno veluti intellectu, ac voluntate feruntur. Colligunt quoque, quod societas multiplex esse possit juxta diversos fines certos, et particulares, quos intendit: et quia de mediis judici-

---

(1) *Schwarz Part. II. Tit. I.*
(2) *Zallinger* §. 166.
(3) *Norc.* §. 15.

um desumitur ex fine, sociorum officia, et jura, ex ipso quoque societatis cujusvis fine stimanda esse inferunt. - (1)

Hisce praestitutis societatem, seu adventitium statum societatis dividunt praecipue in *simplicem*, qualis est societas *conjugalis*, societas *paternalis*, societas *herilis*: et in *compositam*, quae ex illis, nimirum, sive ex omnibus, sive ex aliquibus earum, vel aliarum simplicium, ac particularium societatum consurgit. Societatem vero *compositam* subdividunt in societatem *compositam minorem*, perfectam tamen in se, spectato naturae fine, ut societas *paterna* et *familiae*; et in *compositam majorem*, seu magis perfectam, omnimode completam, publicam, vel ex hominum multitudine, vel ex familiis constitutam, et sub communi imperio summo coagmentatam, quam societatem appellant quoque *Populum*, *Gentem*, *Civitatem*, *Rempublicam*, *Nationem*. (2) Statum societatis *conjugalis*, *paternae*, et *haerilis* non pauci

---

(1) *Schwarz loc. cit. Heinnec de offic. Hom. et Civ. Lib.* 2. *Cap.* 7. §. 1. *in fine.*
(2) *Schwarz loc. cit. Zalling.* §. 2. *n.* 3. 167. 196., *aliique communiter.*

vocant quoque statum *domesticum* naturalem, licet in his humanum factum interveniat. Speciatim vero loquendo, societas conjugalis ab adversariis definitur - *Societas simplex personarum diversi sexus, sobolis rite procreandae, educandaeque causa initae.* (1) Paterna, seu paternalis definitur - *Societas plurium personarum, quae unius potestate per ipsam naturam, educationis causa sociatae sunt* - Vel - *Societas inter parentes, et liberos ob communem inter se utilitatem contracta* - mutuis videlicet officiis, ac juribus ad communem utilitatem, et civilem honestatem definita - Vel - *Conjunctio plurium personarum, quae per ipsam naturam educationis causa sociatae sunt* - (2) Et si enim, explicat Zellinger, etsi conjuges *facto* inter se primum conjungantur, tamen liberos in societate parentum ipsa natura constituit, eum nempe in finem, ut jura connata prolium per parentes primo exerceantur - (3)

---

(1) *Schwarz loc. cit.*

(2) *Heinnec. de offic. Lib.* II. *Cap.* I. *Zalling. Tom.* I. §. 172. 183. *Norc.* §. 223. *Piccad.* §. 335.

(3) *Zalling.* §. 183.

Status adventitius *haerilis*, seu haerilis societas a praelaudato Zallinger describitur - *Societas inaequalis inter dominum, ac servum eo fine instituta, ut hic in ejus commodum debita servitia praestet* - (1) Hanc societatem ipse cum aliis vocat *inaequalem*, ea videlicet ratione, quia servus *inaequali* prorsus jure sociatur, imo servo *obnoxio*, seu *perpetuo* praeter jura humanitatis nil quidquam relinquitur, totusque transit in potestatem domini. *Pactitiam* quoque appellant cum factum supponat, quo congenita libertas restringitur, quod adventitii status proprium est. Est insuper, subdunt, *simplex*, si haerum cum servis, ac famulis cogitemus: *composita* vero si haerum in societate conjugali, vel paternali constitutam ponamus. Finis hujus societatis est per eumdem Zallinger (aliosque) utilitas, et commodum haeri; et si enim, ait, servi quoque, ac famuli alimenta, vel mercedem obtineant, tamen ipsa societas, ac opera servorum eum finem non habent. Id inter imperium haerile in familia, et imperium principis in civitate est summopere memorabile, et gravissimi

(1) *Zalling* §. 188.

momenti discrimen assignat, quod haerus praecepta servis dat in suum, ac familiae commodum, imperans autem civiles leges fert communitati in bonum communitatis, idest in commodum eorum, quibus imperat; unde infert, alius ergo patrifamilias, ac haero, alius imperanti propositus est finis.

Societas composita familiae (composita scilicet vel ex conjugali cum parentali tantum, vel ex conjugali cum haerili, vel ex parentali cum haerili) a Zallinger describitur - Coetus, vel societas plurium personarum, quae unius potestate natura, aut jure quotidiani juris causa, sociatae sunt - Conjuges, explicat ipse, pacto primo consociantur; servos quoque pacto adscisci in familiam constat, certe facto quodam humano: at liberos ipsa natura in societate parentum collocat. Collegia quidem, sunt pariter ejus verba, absque subjectione erga unam potestatem, non item domesticae societates concipi possunt (1). A Norcia familia definitur - *Perfecta, seu completa composita societas est, aliis nempe ex societatibus constans, domesticae conservationis, et felicitatis causa*

(1) *Zalling.* §. 191.

natura primum inchoata, et hominum facto postea plerumque aucta, et perfecta (1). Addit Zallinger, explicatque hanc societatem hisce verbis - Familia est societas *inaequa-* ,, *lis*, et rectoria, in qua sunt superiores, ,, nempe conjuges, parentes, haeri, qua pa- ,, terfamilias, et materfamilias; ac inferio- ,, res, nempe filii, ac filiaefamilias, et ser- ,, vi, liberi quidem servorum, domini haud ,, sunt, si quos ad sua servitia speciatim de- ,, stinatos habent ex concessu, ac veluti de- ,, legatione parentum. - (2)

Societas tandem composita major, hoc est civitas, seu *civilis societas* a Norcia dicitur - *Plurium familiarum caetus juris fruendi, et communis salutis causa institutus* - (3): A Zallinger vocatur - *Caetus hominum sub juris securitatis, ac commoditatis temporalis causa sub eodem communi imperio consociatus* - (4). Cum ergo, subdit ipse, non pro aedificiis, ac muris oppidorum, et ur-

---

(1) *Norcia Lib.* 1. *cap.* 18. §. 252.

(2) *Loc. cit.*

(3) *Instit. Jur. Nat. et Gen. Lib.* 2. *cap.* 1.

(4) *Lib.* 3. *cap.* 1. §. 196.

bium, sed pro coetu ac congregatione civium sumatur civitas, ea est instar compositi moralis, et quidem artificialis, quod instituto pactoque hominum, non ipsa natura coagmentatum est. A Schwarz natura Civitatis describitur - *Societas plurium perfecta concessa mutuo per summum imperium coadunata, in ordine ad beatitudinem civilem* (1). Thomasius civitatem plenius describens ait - *Esse personam moralem compositam, cujus voluntas ex plurium pacto unita, pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus ac facultatibus ad pacem, et securitatem communem uti possit* - (2).

Quod si quaeramus causas, rationes, et modum, quibus humana societas, vel saltem status ac Principatus originem habuerint, sic nobis indubitanter respondeant. Homines, inquiunt, initio dispersi, segreges, et absque ulla sociali relatione, vinculo, ac lege et idcirco in *perfecta* libertate, ac aequalitate *vivebant*; ita ut nemo alteri servire, nemo ab alio dependere deberet; hunc-

---

(1) *Part. II. Tit.* 1. *Instruct.* 3. *Heinnec. Lib.* 11. *Cap.* 6.

(2) *Instit. Div. Lib.* 3. *Cap.* 6. *N.* 65.

que statum a nobis superius fuse expositum statum *naturae* vocant. Ast, subjungunt, hic naturae status neque hominum juribus, neque communi eorum faelicitati satis prospiciebat. Hinc corruptione, et perversitate hominum temporis lapsu crescente, uniuscujusque impellebatur negotium, quaestus non absque violentiis in medium prodiere, quin auctoritas ulla, ullum tribunal judiciali forma cohibere possent: ex quo factum est, ut fortior debilem facile oppresserit. Ne igitur denuo talia mala renovarentur, homines e *naturae* statu exiere, unionem inter se per *socialem contractum* iniere (pactum unionis), *civilem consociationem* seu quamdam *speciem societatis assicurationis* efformantes, eum in finem, ut junctis viribus, pax servaretur, generalis, comunis publica felicitas haberetur, sive ut moderni Scriptores dicunt, ad hoc ut individualis *libertas* hominum protegeretur, et naturalium jurium *æqualitas*, contra mediorum, seu virium inæqualitatem in tuto prorsus poneretur. Verum, addunt, cum finis iste absque superiori potestate semper ac quolibet momento præsentanea obtineri nequaquam posset, *novorum Associatorum Collegium*, seu *novi Cives uni*, vel *pluribus* eorum sufficientem auctoritatem contulerunt, ac delegarunt; seu ut alii autumant, elegerunt, sub diversis nominibus *unum*, vel *plures* ex eorum

membris, qui eos, seu totam societatem, ac populum representarent (unde famosum systema representativum, de quo infra) eisque se subjecerunt, ut *civilis unionis* ac consociationis propositum consequeretur, et uniuscujusque *congenita* libertas *perfecta*, *indefinita*, ac *plena*, cohiberetur, in quantum nempe aliis damnum ac præjudicium inferre posset; renunciantes propterea, et abdicantes partem eorum originariæ libertatis, hoc est perfectæ eorum independentiæ, pro reliquæ libertatis, seu independentiæ securitate (1)

Jam vero ex his omnibus colligitur, et accurate animadvertendum, totum systhema philosophicum circa originem, naturam, et finem Statuum sequentibus quatuor propositionibus tamquam fundamento inniti: 1. scilicet quod homines originarie, seu ab initio vixerunt absque relationibus socialibus, in statu *libertatis* perfectae et aequalitatis *universalis*, seu omnibus hominibus communis 2. quod hujusmodi status eorum jura nequaquam tuebatur: 3. quod hac de causa homines in unum coaluerunt, et delegarunt uno

---

(1) *Vid. de Haller. Tom. 1. Cap. 3. Heinnec. lid. 2. cap. 6.*

vel pluribus ex ipsis potestatem talem, quae pro conservatione generalis securitatis *sufficiens* esset : 4. quod vi hujuscemodi *civilis* societatis, libertas hominum *melius* quam antea in tuto posita est, vel saltem hoc unicè modo poni poterat.

Post hæc omittenda nequaquam erit distinctio, quam Adversarii recensent societatis *aequalis* et *inæqualis*. Societas *æqualis* est, inquiunt, si consideretur simplex in se unio sine relatione subjectionis, et imperii; *inaequalis* si ea unio costringitur imperio, ac subjectione: unde jus sociale, per ipsos, vel *aequatorium* est, vel *rectorium*, de quo pauca mox dicemus (1)

De juribus et obligationibus Conjugum, Parentum, Dominorum, et Principum, infra suo loco agemus. Ut magis interim ac paullatim via latius sternatur ad fere totius materiae intellectum, non parvi momenti est observare, per nos societates omnes sive parvas, sive magnas, *tam singulares, particulares*, et *ordinarias*, quam *publicas*, ut in eorum sensu adversarii vocant, nequaquam diversae

---

(1) *Zalling.* §. 168. *post Grot. de jur. bel. et pac. lib.* 1. *Cap.* 1. §. 2. et 3.

speciei esse, sed ejusdem omnino naturae; ita ut inter se nonnisi ut pars a toto, ut parvum a magno, ut imperfectum a perfecto distinguantur. Ubi haud inutiliter interea observandum, recensitas societates *simplices* ac *particulares* esse, per eosdem Adversarios, partim *naturales*, partim ex *facto* hominis, super quo infra vehementer incumbendum erit.

§. V.

De Jure

Juris vocabulum quadrifariam accipi potest. Primo nempe pro *lege*, seu *jussu:* secundo pro *adjuncto*, seu *attributo actionis*, quatenus nempe actio aliqua sit justa aut licita: tertio pro *adjuncto*, seu *attributo personae*, seu prout est jus personale. Quarto tandem pro *scientia legum*.

SECTIO PRIMA

Jus in primo sensu acceptum, lex nimirum, a nobis cum divo Thoma generice definitur - *Regula et mensura actuum, secundum quam obligatur aliquis ad aliquid agendum, vel ab agendo retrahitur.* - Iisdem fere verbis huic definitioni concinit Grotius, et Volfius, eam-

que inurbane simul et inepte carpunt *Thomasius et Puffendorfius*, ut observat, ostenditque praeclarissimus Tamagna (1)

Lex ex parte causae efficientis, seu auctoris, recte dividitur in *divinam*, quae nempe a Deo est, et *humanam*, quae est ab homine. Divina subdividitur in *naturalem* et *necessariam*, ac in *positivam*, et *liberam*, seu *voluntariam*. *Naturalis* lex, quam nos praecipue intuemur, late sumpta est illa, quae intrinsecam habet cum hominis natura convenientiam, et rectae rationis lumine manifestatur, vocaturque *necessaria*, utpote in humana natura fundata, et quia ei necessario convenit. Hinc in specie, ac stricte sumpta definitur ab aliquibus - *ordinatio divina toto humano generi per lumen rectae rationis intimata, praecipiens ea, quae hominis naturae necessario consentanea sunt, et prohibens contraria* - (2) Brevius ac fortasse rectius ab Heinneccio definiri potest - *Jus a Deo toto generi humano per rectam rationem promulgatum* - (3)

---

(1) *Instit. log. et Met. Tom.* 2. *Cap.* 1.
(2) *Schwarz. Part.* 1. *Tit.* 1. *Finet. Tom.* 1. *Cap.* 2. *Piccad.* §. 48. *Norc.* §. 39.
(3) *De offic. lib.* 1. *Cap.* 2.

Lex autem *humana* est semper positiva ac libera, ut patet, naturali lege superaddita. Lex humana positiva duplex, in hac re, communiter vocatur; *Gentium* videlicet et *civilis*, ut infra explicabimus.

Lex insuper vel est *praeceptiva*, quae aliquid fieri jubet, aut prohibet, vel *permissiva*, quae aliquid fieri permittit. Ex. gr. *ne occidito;* et, juxta Heinnecium aliosque, *cuique Patrifamiliae jus condendi testamentum esto*. Hanc divisionem aliqui non admittunt, quia lex permissiva non obligat, adeoque legis definitio ei non quadret; sed respondit Heinnecius, obligat omnino lex etiam permissiva, non quidem eum, cui quid permittitur, quippe qui juri suo potest renuntiare, sed reliquos subditos, ne eum turbent in usu, et exercitio istius juris. (1)

Insuper ratione originis, seu verius ratione diversitatis praecipuorum statuum, quos Juristae Adversarii admittunt, ac respiciunt, aliam divisionem assignant. Inspiciunt nempe homines aut in simplici naturae statu, seu simpliciter tamquam humana individua, tamquam *personae* uno communis naturae vincu-

---

(1) *De Offic. lib.* 1. *Cap, cit.*

lo inter se devincta, et tunc jus naturae *privatum* appellant; aut in aliqua societate, seu statu adventitio constituti tamquam *moralem personam* efformantes, et tunc modo jus naturae *sociale*, modo jus *gentium* appellant. Nempe si socialis status sit societas quaedam minor, ex: gr: *conjugalis*, *paterna*, *haerilis*, *sociale naturae jus* vocant; si vero societas publica sit, nimirum *civitas, natio, populus*, *gens*, *jus gentium* appellant. Hinc naturalis lex, juxta ipsos, pro vario statu subjecti cui applicatur distinguitur in jus *naturae privatum*, vel *sociale*, et *in jus gentium*. Illo homines singuli, aut minores societates: hoc gentes reguntur; et hinc quoque Jurisprudentiae divisionem hauriunt. (1)

Prosequendo juris divisiones, ratione status seu subjecti, vel dicatur objecti, jus dividitur communiter in *publicum*, et *privatum*, quae divisio *juris positiones* in jure romano vocantur. Jus *publicum* est, quod versatur circa negotia publica, seu quod de statu juribusque Rerum publicarum, ac Imperantium praecipit, aut est illud, quod versatur circa imperantium, ac civium, seu subditorum ne-

---

(1) *Norcia* §. 18., *et seg.*

xus, seu vincula et ligamina; circa jura nempe, et obligationes, ac officia regnantium erga subditos, et subditorum erga regnantes. Jus *privatum* e contra est illud, quod circa negotia privatorum, et ad singulorum utilitatem, idest ad meum, et tuum spectat. (1)

Tandem quasi quod tot partitiones nequaquam sufficerent, jus publicum subdividunt in *Universale*, et *Particulare*. Jus publicum *universale* est, juxta eos, quod Gentibus ac Nationibus omnibus, Statibus nempe, commune est, totumque humanum genus obligat; *particulare* vero, quod huic vel illi Nationi aut Genti, puta *romanae*, est proprium, eamque obstringit: illud ab isto differt, per eos, ratione principiorum, cum primum ex jure naturali ac gentium fluat; hoc derivetur praecipue ex legibus fundamentalibus singulorum imperiorum, hoc est, ut lubenter hodie non pauci loquuntur, ex singulorum Imperiorum Constitutionibus, ita quod totuplex sit hoc Juspublicum *particulare*, quot sunt Respublicae (2)

---

(1) *Heinnec. Elem. Jur. Civ.* §. 31.

(2) *Schwarz Part.* 1 *Tit.* 1. *Finet. Tom.* 1. *Lib.* 2. *Cap.* 5. *Norc. Lib.* 2. *Cap.* 3. *aliique.*

In hoc tamen distinctionum *Juris* acervo nos docebimus, atque firmabimus, unicum tantum esse Jus sociale verum, Jus naturale videlicet privatum, seu absolutum (et quidem universale, utpote naturale); ita ut illa juris distinctio in *Civilem, Gentium*, *ac Publicum*, qua Juristae Philosophi, ac Politici nimis abutuntur (post differentiam Statuum, quos admittunt) nonnisi nomine, magnitudine objectorum, ac formis, numquam vero essentialiter differunt.

SECTIO SECUNDA

Ex jure sumpto *pro attributo personae*, sequitur jus acceptum pro adjuncto, seu attributo actionis. Jus hoc modo sumptum, est idem ac justum, illudque sensu positivo definitur - *Id quod aliorum juri satisfit* - sensu vero negativo, hoc est non injustum, definitur - *id quo nullius laeditur jus* - Hinc autem facile patet injustum esse - *id omne, quo, vel aliorum jus positive laeditur, vel aliorum juri non satisfit* - Cum vero aliorum jus, vel *perfectum* sit, vel *imperfectum*, ut videbimus, etiam justum positivum dividi non incongrue potest in *imperfectum*, et *perfectum*, quod peculiari vocabulo dicitur *aequum*, ejusque oppositum (ut e. g. minus

dignorum posthabitis dignioribus ad publica munera electio) appellatur *iniquum* (1) Fleischerus non admittit jus perfectum : ait enim involvit contradictionem jus habere , illoque uti non posse , jus adesse , sed sine obligatione , obligatum esse , et cogi non posse - At immerito respondit Piccadorus : qui enim habet jus imperfectum, potest illo uti petendo etc: eique in aliis correspondet obligatio imperfecta. Denique de ratione obligationis imperfectae , ut ex definitione patet , est quod obligatus cogi non possit. (2)

Jus acceptum in hoc secundo sensu significat actum , seu actionem , vel legi conformem , quo casu actio dicitur justa *positive* , vel illi non repugnantem , et tunc actio justa, et licita dicitur *negative*. Hinc haud frustra observari potest, quod si sermo sit de lege naturali, quae est prima, ac fundamentalis regula actionum, legumque humanarum , actio illi conformi dicitur *honesta* , *inhonesta* vero si ei repugnet ; *honestas* enim consistit in conformitate actus ad primam illam regulam, seu in ratione convenientiae cum substantia

---

(1) *Piccad.* §. 42.
(2) §. *cit. not.* 1.

rationali libera; et *inhonestas* e contra in deformitate seu ratione repugnantiae cum substantia rationali, ita ut actus moralis sit *honestus*, si voluntas operetur conformiter ad primam regulam, et *inhonestus* si deformiter: unde bonum *morale*, seu *honestum* est id, quod substantiae rationali liberae consentaneum, ac decens est; malum vero *morale*, seu *inhonestum*, quod deinde per se repugnans, ac indecens est. (1)

SECTIO TERTIA

Jus acceptum pro attributo personae, quatenus scilicet est facultas personae competens, unde dicitur etiam jus *personale*, accurate definitur quod sit - *Potestas, seu facultas rectae rationi conformis ad aliquid habendum, vel agendum* - Hinc eruitur, quod pro potestate, seu facultate hic non intelligitur facultas physica, hanc enim haberet quis etiam ad malum peragendum, ac ita et latrones jus haberent nos obligandi, nobis dominandi, et leges ferendi; sed intelligitur facultas mo-

(1) *Schwarz. epitom. Pars. 1. Tit. 1 aliique Auct. cit.*

ralis, hoc est rectae rationi conformis, cujus nempe usus a recta ratione approbetur, qualis est. e. g. facultas, cuique competens propriam vitam honestis mediis conservandi. (1) Hujusmodi potestas, seu jus *ratione originis* dividitur in *naturalem*, quae nempe ab ipsa hominis natura descendit, ac recte dimanat, ideoque *connata*, *primigenia*, ac *universalis* dicitur; et in *acquisitam*, quae ab aliquo Dei, vel hominum libero facto derivatur, unde *particularis* e contra, *adventitia* et *hypothetica* dicenda sit. (2)

Commode insuper dividi possunt jura in *absoluta*, quae cuilibet a quolibet debentur, sine respectu ad certum statum, vel institutum humanum, ex: gr: neminem occide; alia *hypothetica*, ad quae non obstringitur homo, nisi supponatur certus status, vel supponantur certa humana instituta, quorum praecipua, per adversarios, ut supra monuimus,

---

(1) *Piccad.* §. 35. *caeterique omnes.*

(2) *Heinnec. Lib.* 1. *cap.* 6. *Norc. Lib.* 1. *cap.* 2. *Zalling. Tom.* 2. *cap.* 3. *Piccad. Lib.* 1. *Cap.* 3.

quatuor essent, *sermo*, *dominium*, *rerum pretium*, et *civitates*, seu *respublicae*.

Ratione *effectus*, seu *efficaciae* jura tam naturalia, quam acquisita dividuntur, seu subdividuntur in *perfecta*, et *imperfecta*. *Perfecta* sunt, quae admittunt coactionem (in statu *naturali*, inquiunt Adversarii, per bellum, in statu *civili* per judicem) ex: gr: pacta servare, debita solvere. Jurium perfectorum, Adversarii tria tantum enumerant, *conservatio* scilicet, *perfectio sui*, *rerumque suarum* (1) *Imperfecta* ex adverso sunt, quae talem actionem non admittunt, quamvis et ipso omnino jure debeantur, ex: gr: eleemosynam dare; erranti viam monstrare; nemo enim, salva libertate naturali, cogi potest ad praestandam opem, seu operam. (2) Alii aliis verbis statuunt, quod jura *perfecta*, moralem facultatem includunt, illa etiam per vim, si opus sit extorquendi, seu quae cum jure cogenti conjuncta sunt: *imperfecta* vero moralem dumtaxat facultatem important petendi, at-

---

(1) *Norc. loc. cit.* §. 26., 27. *Zalling. loc. cit.*

(2) *Heinnec. Piccad. Zalling. loc. cit. aliique.*

que observandi. Brevius cum Heinnecio dici potest, quod jura *perfecta* dicuntur, quae debentur ita, ut coactionem admittant; *imperfecta* quae eam nequaquam admittant. (1) Ad dignoscendum autem in peculiaribus casibus, quando quis *perfecto*, aut *imperfecto* jure gaudeat ad aliquid habendum, vel agendum, sequentem regulam tradit Piccadorus - „ Illa jura, *ait ipse*, perfecta censenda sunt, „ quae ad naturalem finem consequendum „ sunt cuique omnino necessaria; item illa, „ quae licet sint dumtaxat ad melius esse, „ per pacta tamen, aut positivam superioris „ ordinationem, clare firmata sunt; ac de„ nique illa omnia, quibus in illis respondet „ obligatio, ita perspicuam, atque ita deter„ minatam habent materiam, ut non illorum „ dumtaxat, sed meum etiam sit judicare de „ obligationis existentia. - Caetera per ipsum sunt imperfecta. (2)

Nec absque ulla mentione praetereunda jurium distinctio in ea quae remitti *possunt*, et

---

(1) *De Offic. Lib.* 1. *cap.* 5. *et seq. Zalling. Piccad. Norc loc. cit. aliique communiter.*

(2) §. 38.

ea, quae *non possunt* remitti. Juribus, sine quibus propriae obligationes impleri nequeant nec renuntiare nemini licet: Caeteris sine alterius laesione se abdicare quivis potest. (1)

His tandem adjungenda notio juris *interni*, et *externi*, ne obscura vox, ait Norcia, legentes turbet. *Internum* jus vocatur illud, cujus usum, nec divina, nec humana lex reprobat: *externum* vero illud, quod impunitatem apud homines, non autem apud Deum praebet. (2)

SECTIO QUARTA

Tandem jus ultimo sensu acceptum pro scientia scilicet legum, unica voce *Jurisprudentia* nuncupatur. Jurisprudentia brevioribus verbis a Celso vocabatur in genere - *ars aequi, et boni* -; per *aequum* intelligendo, explicat Finetti, quod convenit juri naturae; et per *bonum*, quod expedit saluti Civitatis (ut et ipse cum aliis loquitur) seu Reipublicae; et a Justiniano in genere pariter definiebatur - *justi, et injusti scientia* -; scientia nimirum, qua *juste*, vel *injuste* huma-

---

(1) *Norc.* §. 29.
(2) §. 30.

nae actiones dignoscuntur. Clarius ab aliis, et extentius definitur - *Ars, seu facultas leges interpretandi, atque ad singularia facta applicandi* - Vel - *Facultas leges salutem hominis concernentes, explicandi, easque actionibus humanis applicandi*: (1) Accuratius tamen seu concinnius, ait Heinnecius, Jurisprudentia itidem in genere, describitur - *Habitus practicus leges recte interpretandi, applicandique rite quibusvis speciebus, seu casibus obvenientibus* - (2) Legum cognitio ideo *Jurisprudentia*, ac etiam *Prudentia* vocatur, quia ad directionem actionum humanarum in rectum finem, duo sunt necessaria, nimirum cognitio regulae, ac ejus ad aliquod peculiare opus applicatio, quod utrumque *prudentia* complectitur. Et sane justitia sine prudentia haud esse potest, cum examinare quid justum, quidve injustum sit, non mediocris sit prudentiae, ait Perezius (3).

Scriptores, qui nobis adversantur, sicuti diversimode dividunt, seu verius effingunt sta-

(1) *Vid. Finet. Tom.* 1. *Lib.* 11. *cap.* 5.
(2) *Elem. Jur. nat. et Gent.* §. 12.
(3) *Instit. jur. civ. lib.* 2. *Tit.* 1.

tum, et societates hominum; ita Jurisprudentiam in *naturalem*, *civilem*, et *gentium* distingunnt. Eadem de causa, per eos, Jurisprudentia alia est *socialis*, ut vocant, quae scilicet *minoribus* societatibus officia statuit; alia *aeconomica generalis*, quae *majoribus* officia imponit (1)

Insuper juxta eosdem adversarios jurisprudentia alia publica est, simulque *universalis* alia *particularis*. Jurisprudentia. *publica*, et *universalis* ad civitatem determinata, vocatur jus civile universale - (2)

Haec jurisprudentia pressius a nonnullis definitur - *Habitus prudentiae per se dirigens actiones publicas omnium, vel saltem plurium Civitatum ad justitiam, et salutem publicam in suo genere consumatam* (3)

Haec jurisprudentia constituitur, per eos, ex jure naturae et gentium; illud enim inquiunt ad omnes, vel saltem ad plures Civitates pertinet. Jurisprudentia vero *particularis* est, quae alicujus Civitatis, seu Reipu-

---

(1) *Finet. lib.* 2. *cap.* 5.

(2) *Finet. loc. cit.*

(3) *Schwarz Prolegom. Instruct.* 2. *Finet. Lib.* 2. *cap.* 5.

blicae particularis curam habet, ut Athéniensis, Romanae (1)

Jurisprudentia ab iisdem distinguitur a *politica*; quia inquiunt licet utraque Civitatem respiciat, haec tamen id sub ratione *utilitatis* praestat, quatenus separat proficua a noxiis; jurisprudentia vero sub ratione *justitiae*, cum ejus sit justa secernere ab injustis. Simili modo, parique ratione jurisprudentia differt ab ea facultate, quae *Ratio status* ab eis appellatur, ac partem politicae censent; quaeque circa seligenda reipublicae conservandae media praecipue versatur (2)

A supra dictis Scriptoribus parum, aut nihil recedit Zallinger, ubi *jurisprudentiae naturalis* amplissimum, ut vocat, campum in quatuor partes dividit. *Prima*, inquit ipse, quae *privata* nuncupatur, hominem in statu positum naturali considerat nullo affectum adventitio statu. *Altera* jus *sociale hypotheticum* tum generatim exponit, tum quae ad minores pertinent societates. *Tertia*

---

(1) *Finet. loc. cit. post. Grot. de I. B. et P. Prolegom.* §. 17. *f. m.* 14. *edit. Francfort.* 1691.

(2) *Finet. loc. cit.*

quae appellatur *jus publicum universale*, de civili societate. *Quarta* denique de naturali proindeque universali *jure gentium*, tamquam moralium personarum, tractat. (1)

Quamnam vero juris qualitatem, ac distinctionem, quamnam, jurisprudentiam nos admissuri erimus, paulo ante sub paragrapho quarto innuimus.

§. VI.

Juri seu potestati, *obligatio* respondit; jus enim et obligatio sunt duo correlativa, quorum unum sine alio haberi nequit. Statim enim ac recta ratio usum approbat alicujus facultatis in aliquo (quod jus constituit) consequenter, ac necessario, ut ex dictis patet, in aliis hominibus reprobat quidquid libero ejusdem facultatis usui opponitur, id, quod certe moralem obligationem juri respondentem constituit. Porro obligatio moralis recte describitur, sive definitur - *Necessitas aliquid agendi, aut omittendi* - sive - *Vinculum* (ex lege naturali, vel positiva) *quo adstringimur ad faciendum*

(1) *Tom. cit.* §. 1. *n.* 1.

aliquid, vel omittendum - sive - *Qualitas moralis operativa, qua quis praestare, vel pati aliquid tenetur* - sive - *Impossibilitas aliquid agendi, vel omittendi salva conformitate cum recta ratione* - (1) Nomine igitur impossibilitatis, non venit absoluta, et physica, sed moralis, quatenus nempe actio emitti, vel omitti nequeat, quin commissio, vel omissio cum recta ratione pugnet; unde eruitur, moralem obligationem ac physicam libertatem ab illa non destrui; quod sane non omnes Adversarii satis observarunt, ut videbimus ubi de lege morali agemus.

Jam obligatio sic definita (aeque ac jus) alia est *affirmativa*, quae actionem praescribit: alia *negativa*, quae prohibet actionem. Hoc discrimen inter utramque procedit, quod prima non semper, et sine intermissione obligat, sed tempus, vires, opportunitatem actionis exposcit, bene vero secunda.

Obligationes (aeque itidem ac jura) alia insuper sunt *connatae*, *naturales*, seu *primigeniae*, *originariae*, et *universales*, quae

(2) *Piccad.* §. 39. *Vid. Norc. aliosque loc. cit.*

cum ipsa hominis, rerumque natura ponuntur, quaeque eaedem in omnibus hominibus ob identitatem naturae sunt, ut supra monuimus; vel ut alii dicunt, illae sunt, quae juri naturali alterius respondent; et aliae *acquisitae*, seu *contractae*, quae nempe ex facto *proprio*, vel *alieno* oriuntur, ac alterius acquisito juri respondent, seu quae non sola natura, sed praeterea posito *facto* quopiam, statuve proveniunt.

Obligatio sive *naturalis*, sive *acquisita* subdividitur in *perfectam*, et est illa, quae perfecto alterius juri; et in *imperfectam*, si imperfecto juri alterius respondeat. Non autem eo sensu obligatio *imperfecta* vocatur; quasi quod imperfecta sit in se, ita ut in conscientia non obliget; vel enim nulla morali necessitate quis obstringitur ad aliquid agendum, vel omittendum, vel si aliqua obstringitur, haec procul dubio in conscientia stricta erit et rigorosa; sed in eo sensu dumtaxat, quaedam obligationes morales imperfectae dicuntur, quod illas per vim extorquere non liceat; ideoque non in se, et ab-

solute imperfectae admittuntur, sed solum relate ad jus (imperfectum) aliorum. (1)

§. *ultimus*

De Officiis

Quomodo officia definiri, dividi, ac subdividi possint, haud difficile foret ex supradictis colligere. Tyronibus tamen supervacaneum nequaquam erit, omnia haec prae oculis perspecte habere.

Igitur ut a lege *jus*, a jure *obligatio*, sic ab obligatione, tamquam a matre, ut ita dicamus, *officia* descendunt. *Officium* in genere recte definiri potest, aut cum Piccadorio - *Id quod ad legis praescriptum faciendum, vel omittendum est* (2); aut cum Norcia - *Actio quae ad legis praescriptum facienda, vel omittenda est* (3).

---

(1) *Heinnec. Zalling. Piccad. Norc. loc. cit. ubi concordant circa ea, quae in hoc paragrapho dicta sunt.*

(2) *Lib.* 1. *Cap.* 9.

(3) *Lib.* 1. *Cap.* 3. §. 45.

Naturalia officia ergo alios, de quibus praecipue ad rem nostram disserendum, alia sunt *absoluta* seu *connata*, *primigenia*, *universalia*, quae nempe oriuntur ex naturali obligatione aliquid faciendi vel omittendi; vel ut describit Heinnecius, *ea sunt*, *quae cuilibet a quolibet debentur*, *sine respectu ad certum statum*, *vel institutum humanum*, ex. gr. neminem occide (1); alia e contra *hypothetica* seu *acquisita*, *particularia*, *adventitia*, quae scilicet ex obligatione acquisita, ac supervenienti dumtaxat, hoc est a libero Dei, vel hominum facto procedunt, praesupposito nempe aliquo jure per factum proprium, vel alienum acquisito; (2) seu ut alii dicunt, ea sunt quae ex hypothesi alicujus liberi facti nostri, vel alieni procedunt; cujus generis sunt *pacta*, *contractus*, *laesionum reparatio*, adduntque Adversarii, juxta eorum doctrinas, *particularium* statuum *obligationes*, *rerum dominium*. (3) Per Heinnecium ea sunt, ad quae non obstringitur homo, nisi suppona-

---

(1) *Lib.* 1. *Cap.* 6.

(2) *Schwarz. part.* 1. *Tit.* 5. *Zalling. Tom.* 1. *cap.* 12. *Piccad. Lib.* 2. *cap.* 3. 4. 5. *Norc. Lib.* 1. *cap.* 6.

(3) *Piccad.* §. 267.

tur certus status, vel certum institutum humanum. Exemplum autem addit - Ne furare - haec enim lex, ait, non obligaret, nisi homines instituissent dominium, eo vero semel introducto, jus naturae vult, nos a furtis abstinere. (1)

Officia tam absoluta, quam hypothetica subdividuntur in *perfecta*, et *imperfecta*. *Perfecta* ea sunt, quae ex perfecta obligatione debemus (2), vel ut verbis Heinnecii utamur, sunt ea quae coactionem ad praestanda admittunt, ita ut ea negligens, dinominetur formaliter *injustus*, quia ad illud *jure naturae* proprie tali, et saepe etiam rigorose est obligatus, ut cuivis suum tribuere. Horum absolutorum officiorum perfectorum primum omnium est, *neminem laedere*, sive in corpore, sive in mente, sive in extimatione, sive in pudicitia, sive in fidelitate, aliisque in hominum juribus: alterum est laeso dominum reficere, idque tum ratione amoris, quo tenemur erga proximum, quum ne primum officium frustraneum sit. Tertium officium absolute, et nimis generice

---

(1) *De Offic. Lib. 2. cap. 6. §. 1.*
(2) *Concordant. Auctor. cit.*

addunt, nempe - alios homines nobis aequales agnoscere, et aeque liberos, hoc est mutuo independentes. (1) Ast, ut supra monuimus et infra demonstrabimus, de absolutis perfectis generice, indefinite, ac indistincte nimis loquuntur.

Absoluta officia *imperfecta* ea sunt, quae ex imperfecta obligatione profluunt, ut ait Piccadorus (2); vel ut loquitur Heinnecius, ea sunt, quae debentur quidem, sed coactionem non admittunt, eo quia scilicet ex obligatione imperfecta nascuntur (3) Haec posteriora Officia, *humanitatis Officia* comuniter vocantur, quae consistunt 1. in comodis alienis promovendis, seu in hoc, quod quilibet teneatur operam dare ut aliis prosit, ac signanter publico; non enim nobis solis nati sumus, sed ut et proximo, aliisque prodesse curemus: 2. ut quod quilibet homo non solum aliis prodesse curet, sed insuper teneatur, ut nemo alios humano generi profuturos impediat. (4)

---

(1) *Heinnec. Lib.* 1. *cap* 7.
(1) *Cap.* 3. *citat.*
(3) *Lib.* 1. *cap.* 6. *et seq.*
(4) *Varia discrimina inter officia abso-*

Coeterum eadem officia absoluta imperfecta iterum sunt, vel *indefinita*, quae nempe sine respectu ad certam personam promiscue omnibus praestantur, aut offeruntur saltem, ut ex. gr. aliis, ac praesertim publico prodesse, et neminem aliis profuturum impedire; vel sunt *definita* quae nimirum certis tantum personis, eorumque intuitu praestamus. Haec autem posteriora officia, vel *sine adimplentis detrimento* praestantur, vocanturque officia *innoxiae utilitatis*; ut e. g. quod tibi non nocet, et alteri prodest, ad id tenearis; lumen a tuo lumine accendere pati; erranti viam monstrare; algentem apposito igne fovere; afflictum consolari; petentem adjuvare consilio; ita ut ea negligens, *inhumanus* habeatur, ac denominetur formaliter *iniquus* (1); vel cum aliquo adimplentis *detrimento* praestantur, seu exhibentur, ut pauperem cibo reficere; eleemosynas indigentibus largiri; propriis opibus, viribus, laboribus aliorum felicitatem promovere, quae *be-*

---

lute perfecta, *et* imperfecta *recenset*, *ac excogitat Heinnecius. Lib.* 1. *Cap.* 8. §. 1.

(1) *Schwarz. Part.* 2.

neficentiae officia nuncupantur. (1) Hic non incongrue advertendum cum Heinnecio, nequaquam frustranea esse officia imperfecta, neque ideo cum Fleischerio neganda, aut rejicenda, ea de ratione, quia coactionem non admittunt, bene vero eam officia perfecta; nam si officia *perfecta*, ab uno tantum subjecto debentur, quo non praestante, jure me excido; *imperfecta* ab omnibus recte promiscue peti possunt (1). Praeterquam quod, idem Auctor post alios animadvertit, officia imperfecta aliquando fieri posse perfecta, in duobus casibus, 1. scilicet, si casus necessitatis incidat, 2. si in statu *civili*, (juxta eorum sententiam) imperantes talia officia praecipiant (3). Porro suo loco videbimus officia *perfecta* seu legem *justitiae*, et officia *imperfecta*, seu legem *benevolentiae*, aut *amoris* in nostro systhemate conjungi debere, et hac ratione theoriam nostram magis firmari.

---

(1) *Heinnec. lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. *Schwarz. aliique Auct. cit.*
(2) *Lib.* 1. *Cap.* 6. §. 1.
(3) *Lib. cit. Cap.* 4. §. 1.

Totius Operis idea, atque partitio

Praenotionibus tali pacto absolutis, nunc ad propositas Institutiones descendendum est. Circa ordinem in iisdem observandum, saepe saepius ancipites fuimus; an videlicet sic dicto systhemati Jurispublici Philosophici confutatio praemittenda, et exinde opposita doctrina substituenda foret, vel potius e contra. Ast pluries animo perpendentes, quod ad refellendum statum socialem *factitium*, aliquibus in locis recurrendum esset ad theoriam status *socialis naturae*; ubi ex. gr. Adversarii in medium afferunt, quod status naturae (ab eis adinventus) securitate, ac jurisdictione, qua jurgia, et lites tollerentur, carebat, opus esset demonstrare utramque haberi in statu *naturae sociali* a nobis intellecto, ideo theoriam veram falsae praemittere statuimus; idque eo vel magis, quia status socialis naturae cum sit *Divina institutio, ordo Divinus*, hominum figmenta equidem praecessit; et quia hujusmodi methodus brevitati, nec non forsitan claritati etiam non parum conferre nobis videbatur. Itaque sanam doctrinam, seu bonum semen ostendemus, atque firmabimus, ac deinde zizaniam, quod sedicentes Philosophi supersemi

narunt radicitus eripere, divellere, atque extirpare curabimus.

Eo itaque inito consilio, ac operi manus admoventes, hasce Institutiones in duas partes dividendas putavimus. In prima agemus de societate *in genere*; in secunda de societate *in specie*, tum nempe de societatibus, quas Adversarii, uti vidimus, *simplices*, *particulares*, *ordinarias*, *domesticas*, et *minores* vocant; cum de societatibus, quas ipsi *majores*, seu magis *compositas*, *completas* omnino, ac, uno verbo, *Civitates*, seu *Respublicas* appellant, quasque nos, generatim loquendo, *Status*, vel *Principatus* nuncupamus. Hac methodo, nos quoque distinctionem quodammodo (in sensu recto nempe ac possibili) Juris *socialis privati*, et Juris *publici universalis* servabimus.

In hujus consilii executione, quaestiones super articulis majoris momenti excitantes, nedum theses nostras, seu theoriam nostram demonstrabimus, verum etiam Adversariorum objectiones, seu argumenta audientes, eorum principia responsionibus minutatim, seu per singula capita prosternemus. Hac ratione, Juvenes veritatis cum mendacio comparationem, seu collationem ob oculos habebunt, et fortasse suaviter, ac jucunde; simulque permagnas illas duas veritates tamquam

Corollaria dignoscent, quod nempe Adversariorum systhema neque *poterat*, neque *debebat* existere, praecedenti nempe *divina institutione naturalis ordinis socialis* obstante.

Quoad stylum attinet, memoriae tenentes, sermonem nostrum ad Juvenes in Scholis converti, illum nequaquam perpolitum, perfectumque adhibere censuimus, ne styli diligentia, materiae satis in se arduae, intellectum magis difficilem redderet.

Jam vero collationis, seu antithesis praecipua capita haec erunt.

Ubi adversarii somniarunt primigenium statum hominis naturalem prorsus *exlegem*, in quo nempe homo ratione praetensae *congenitae* libertatis, et aequalitatis fuerit, ac esse debeat non solum humana, verum etiam naturali lege exemptus; ibi nos ex adverso *congenitae*, seu naturalis legis Divinae existentiam in homine demonstrabimus.

Ubi praeconceptam ideam, seu hypothesim effingunt primitivi, ac primigenii status naturae absque ullo dominio, absque ullo imperio, sive summo, sive inferiori, in quo propterea omnes homines libertate *plena*, et aequalitate *universali* gauderent; ibi nos e contrario demonstrabimus, hujusmodi hypothesim naturalibus legibus universalibus tam physicis, quam moralibus prorsus adversari,

ac tanquam impossibilem spernendam esse omnino.

Ubi naturae statum primitivum, plus minusve, juxta allatas eorum sententias, *extrasocialem*, a subsequenti, et posteriori statu *sociali civili*, seu *factitio* distinguunt, quasi quod ab *illo* ad *hunc* conventionum socialium, famosi *contractus socialis* ope transierint; ibi nos e contra admittemus statum *naturae* dumtaxat, eumque *socialem*, ac perpetuum adeo, ut homines in eo *naturae* statu semper necessario extiterint, eruntque extituri.

Ubi hypothesim admittunt primitivae, seu primigeniae *communionis bonorum*, praesertim *stabilium*, ita ut ante eorum divisionem, inter homines mediis conventionibus secutam, *proprietas individualis* minime haberetur, et ut haec propterea *humanae institutionis* fuerit; ibi nos e contra probabimus, praetensam illam bonorum primigeniam communionem rectae rationi, Historiisqne repugnare, ac bonorum *proprietatem*, seu *dominium*, non humani, sed *naturalis juris* censenda sit, ac statuenda.

Ubi in genere docuerunt vincula, et ligamina inter homines, hoc est, relationes sociales (saltem magnas) ortum habuisse ab eorum voluntariis consociationibus, et pactis,

aut saltem consensu tacito, praevia remissione, seu renunciatione primigeniae libertatis, eaque de causa *humanae institutionis* fuisse; ibi nos e contrario duo probabimus. Primo nempe easdem relationes, sive *parvas*, sive *magnas*, hoc est tam societates *minores* superius expositas, quam *majores* in quocumque gradu, oriri absque libertatis alienatione partim *necessario* ob naturalem legem universalem *inaequalitatis* facultatum tam physicarum, quam intellectualium, seu moralium, unde quam plurimae, ac diversae necessitates mutuae inter homines descendunt; partim vero *voluntarie* ob conventiones, non quidem *simultaneas* seu *sociales*, sed *individuales*, *singulares*, *particulares*, hasque diversas fere in infinitum: Secundo in omnibus dictis relationibus, naturam ipsam virtute ac vi ejusdem univ ersalis legis *disparitatis* facultatum, seu virium libertatem, dominium, aut imperium ex una parte inducere, ac constituere; ex altera vero dependentiam, subjectionem et servitutem, diversis tamen gradibus ab infimo usque ad summum distinctam; ex quo fit, ut a bibulco usque ad Regem qui libet, vel fere quilibet homo adultus *jure*, non ab hominibus *delegato*, sed *naturali*, *proprio*, ac *personali*, a Deo nempe tamquam rerum omnium Crea-

tore, et legum naturalium Auctore *immediate* accepto, potestatem exerceat, et super alios homines regnet.

Ubi docent, una cum societate (saltem composita, ut ajunt,) humanae originis fuisse, ac esse etiam quodlibet dominium, quodlibet imperium hominis in alium, ac etiam viri in uxorem, patris in filium, domini in servum, sive in parte sive in toto juxta alios, uti videbimus; ibi nos e contrario statuemus dominium ac imperium quodlibet fundari, et consistere in *majoritate naturali*, hoc est in majori, atque altiori gradu potentiae (ab *agro* usque ad solium) alicujus facultatis *utilis*, qua scilicet quis occurrere valeat propriis, ac aliorum necessitatibus; ita ut in hoc sensu recte dici queat *una*, ac *simplici* lege *universali* naturae statutum esse, ut *fortior* juxta majorem, vel minorem gradum potentiae imperare, et *debilior* obedire debeat, et, quod in idem recidit, ita ut natura ipsa libertatem, dominium ac imperium *potentiori* tribuat, atque assignet, subjectionem vero, obedientiam, ac servitutem imponat *debiliori*, hoc est ei, qui magis aliorum auxiliis indiget.

Ubi asserunt humanae institutionis praesertim fuisse supremam potestatem, seu summum commune imperium (la Sovranità),

constitutum nempe fuisse cessione, atque delegatione libertatis, aliorumque jurium singulorum civium, nec non eorum spontanea submissione erga unum, vel plures ex eis, ita ut hi jure a civibus, seu a populo *delegato*, et non *proprio* imperaverint; ibi nos e contra demonstrabimus, Principes supremam potestatem exercuisse jure *naturali*, *proprio*, et *personali*, potestatem nempe innixam eorum proprietati, nec non eorum independentiae ab omni humana auctoritate, ac potestatem proinde non a populo, seu civibus, sed a Deo tamquam rerum omnium Creatore, et legum naturalium Auctore *immediate* acceptam.

Ubi autumant, libertatem perfectam, hoc est, independentiam ab omni humana potestate cuilibet homini jure naturae, competere, seu juris naturae esse; ibi nos e contra ostendemus, independentiam hujusmodi esse *fortunam*, et quidem *summam*, quam quilibet homo mediis naturalibus, ac legitimis acquirere valet; quaeque pertinere potest tam uni personae, quam integrae Communitati, seu Reipublicae, *verae* tamen, in sensu scilicet a nobis suo loco explicando, et non in Adversariorum sensu.

Ubi asserunt tam ratione originis, quam ratione naturae, et finis *essentialiter* inter se

differre superius recensitas societates simplises, seu societates *domesticas*, et societates omnimode completas, seu status, quasi quod illae *naturales* fuerint et sint, istae vero *civiles* seu *factitiae*; ibi nos e contrario, hujusmodi distinctionem, seu differentia, tamquam falsa, et absque fundamento rejecta, defendemus, utrasque societates *naturales* esse, ita ut Status a societatibus domesticis nequaquam distinguantur, nisi ratione eminentioris gradus, nisi ut magnum a parvo, completum ab incompleto, perfecium ab imperfecto, totum a parte; nonnisi ratione majoris potentiae, et *libertatis*, ratione plenitudinis potestatis, ratione perfectae independentiae, seu immunitatis a qualibet auctoritate, ac lege humana, quam libertatem homo naturalibus, ac propterea legitimis mediis acquirere potest, quaeque insuper characterem distinctivum Statuum constituit.

Ubi Monarchias cum Rebuspublicis confundunt tum quoad originem, cum quoad naturam, et finem; ibi nos ex adverso demonstrabimus, ejusdem quidem originis, et naturae esse, cum certum sit earum existentiam, seu originem descendisse semper a majori potentia, jam existente, vel productam fuisse a concursu *naturali* (licet raro) non *artificiali* virium, ac necessitatum naturalium,

et earum independentiam aequalibus mediis *naturalibus*, ac legitimis comparatam fuisse; sed non ratione finis, cum hic in Monarchiis *singularis* sit atque *individuus*; in Rebuspublicis vero *communis*.

Ubi docent, potestatem quamlibet (per eos *factitiam*) dirigi, ac limitari debere ab humanae voluntatis lubidine, a deliberationibus *collectivis* hominum, a *voluntate*, ut ajunt, *generali populi*, a legibus, uno verbo, civilibus, a potestate, ut vocant, *politica civili* conditis; ibi nos e contrario demonstrabimus, quamlibet potestatem, sive parvam, sive magnam (per nos semper naturalem) in omnibus hominibus dirigi, limitari, ac circumscribi, non ab hominum, ac populorum placito, sed a naturali lege *justitiae*, et *benevolentiae*, pusillis aeque ac magnis a Supremo naturae Auctore indita, atque imposita.

Ubi docent, quod ad prospiciendam securitati hominum, ac praepediendum malum potestatis usum, ipsis opus sit institutis publicis, civilibus, seu politicis constitutionibus, artificialibus regiminibus; ibi e contra nos ostendemus, tam ad hominum securitatem obtinendam, quam ad potestatis abusum impediendum (quantum hominis conditio

sinit) sufficientia media, seu remedia ipsam naturam suppeditare.

Ubi docent dari *jura summi imperii*, seu *jura* Majestatis, quae Imperantibus seu Principibus tantum, et non aliis competunt (1), eaque constitui ex libertate, aliisque juribus naturalibus a singulis hominibus, seu a populo voluntarie *cessis*, ac *delegatis*, eaque esse plus, minusve ampla, pro delegationis, et cessionis mensura; ibi nos e contra ostendemus, Principum jura, fundari super eorumdem Principum libertatem, ac proprietatem, neutiquam vero distingui *essentialiter* a juribus naturalibus aliorum hominum, *sed* ejusdem naturae esse, licet diversa quoad extensionem, efficaciam, et modum eadem jura exercendi.

Ubi tandem docent Principum obligationes, ac officia ea esse, quae populus eis in Constitutionibus determinat, committit, demandat, atque imponit; ibi nos e contra firmiter exponemus, eorumdem obligationes, ac officia tam *perfecta*, quam *imperfecta*, ea esse, quae ipsis indicit, praecipitque ea divina Lex naturalis *justitiae*, et *benevolentiae*,

---

(1) *Vid. pag.* 5.

quae aeque, ac aliis omnibus hominibus, indicit, atque imponit, quamvis ratione mediorum. seu potentiae, quibus exerceri possint, latius equidem pateant.

Haec sunt principia, passim enucleanda, quae nostri systhematis fundamentum constituunt, quaeque hujusmodi antithesi tamquam in nucleo exhibere censuimus eum in finem, ut Juvenum mens facilius aperiatur, eorumque attentio praeparetur. Ipsi igitur nos comiter audiant; Juristae philosophi magno animo nobis parcant; ac Deus Optimus Maximus, cujus honor et gloria haud dubie agitur, nostros labores, votaque nostra misericorditer dignetur aspicere.

INSTITUTIONES

JURIS SOCIALIS NATURÆ

AD USUM SCHOLARUM

ADVERSUS

PSEUDO-JUS PUBLICUM PHILOSOPHICUM

PARS PRIMA

De Societate in genere

Not. 1. Societas perpendi potest in *genere*, ut in hac prima Institutionum parte, et in *specie*, ut in secunda, juxta superius monita, perpendemus. (1) Quae ad eam sub priori respectu consideratam pertinere queunt, sequentibus quaestionibus complectemur.

1. Quid sit societas, seu quaenam ejus essentia, aut definitio, et quomodo dividenda?

2. An admittendus sit status naturae, in quo homo aliquo jure connato obstringeretur, ita ut in eo *exlex* nequaquam fuerit?

3. An semper extiterit status naturae *socialis*, ita ut spernenda, imo ridenda sit hypothesis primigenii status naturae absque

---

(1) *pag.* 75.

ulla sociali relatione, hoc est, absque ullo vinculo, ac ligamine?

4. An dominium, seu *proprietas individualis sit juris naturalis*; ita ut rejicienda sit hypothesis *primigeniae communionis bonorum*?

5. An semper extiterit, extetque modo status naturae, in quo vincula, et ligamina omnia, seu relationes omnes sociales, tam *parvae*, quam *magnae*, inducantur, atque producantur, ita ut pro habenda societate ad relationes *civiles* seu *factitias* nequaquam recurrendum sit?

6. An semper extiterit, et modo extet status naturae *socialis*, simulque *extrasocialis*, ita ut admitti nequeat in hominibus originaria libertas, seu independentia *perfecta*, nec inter eos aequaliter *universalis*?

7. An detur status naturae, in quo dominium, seu imperium quodlibet, tam infimum quam summum, universali lege naturali constituatur, ita ut nulla potestatis *delegatio* in hominibus, nullaque potestas *humanae institutionis* agnoscenda sit?

8. An detur status naturae, in quo aliqua lege *morali* quodlibet dominium, ac imperium, ab inferiori usque ad supremum, dirigatur, cohibeatur, ac effraenetur; ita ut humano generi *civilibus* institutionibus seu con-

stitutionibus ad hoc neutiquam opus fuerit?

9. An detur status naturae, in quo media, seu remedia habeantur, quibus potestatis abusus praepediri valeat, quin humanae providentiae ad hoc recursum habere opus fuerit?

10. Quaenam sit causa occasionalis, et quinam societatum finis?

Not. 2. Ex propositis hinc quaestionibus jam apparet, eas principaliter respicere, ut ab initio innuimus (1), vel societatis *originem*, utrum nempe haec naturalis sit, aut humana, seu positiva; vel ejus naturam, utrum scilicet potestas, seu auctoritas, qua constituitur, proprie et naturalis sit, aut delegata; vel ejus finem, utrum videlicet finis in omni societate debeat esse communis vel in Republica (*vera*) tantum.

QUAESTIO I.

De societatis essentia, seu definitione, ejusque divisione.

Not. 1. Ad dignoscendam societatis essentiam non abs re erit ejus etymologiam sci-

---

(1) *Vid. pag.* 3.

re. Haec repeti potest a verbo *sociare* (1) ; unde societatem inire, quoad nostrum institutum attinet, idem est ac se alicui, vel aliquem sibi *adjungere*, aut *conjungere*. Si patri ex. gr. filius oriatur, hic illi *conjungitur*; si patrifamilias famulus, agens, negotiorum gestor, minister adstipuletur, hic illi *adjungitur*.

Not. 2. Societatis vox triplici in sensu sumi potest, *lato* scilicet, *stricto*, et *strictissimo*. Primo sensu accepto, unionem seu numerum hominum simpliciter indicat, praescindendo nimirum ab auctoritate, seu dominio, ac imperio unius in alterum, et vicissim a subjectione unius erga alterum, nec non abstrahendo a qualibet obligatione, et vinculo inter homines, exceptis obligationibus communibus, et universalibus *hominis ad hominem*, seu hominum ad invicem. Hoc sensu in societate dici poterunt homines prope existentes in pagis, oppidis, Ecclesiis, imo et in theatris; ast eo sensu societatem nos nequaqnam accipimus, ea enim considerari debet prout inter homines statum

(1) *Vid. Michalor de Fratr. pars. 2. C. I.*

per se *firmum*, ac *consistentem*, non momentaneum, neque praecarium inducit.

Nomine societatis *stricto sensu* sumptae intelligitur (tam in nostro, quam in Adversariorum systemate) unio hominum sub aliqua potestate sive suprema, sive inferiori, ac subalterna existentium, quorum pauci scilicet libertate, dominio, imperio, gaudent, coeteri vero in subjectione, ac sub ordinatione reperiuntur.

Tandem vocabulum societatis *strictissime*, acceptum significat unionem hominum *aequalium*, qui nempe aequales evenerunt per confusionem eorum virium physicarum, et moralium, seu mediorum, jurium tam naturalium, quam acquisitorum (ut opes), idque ob causam, ac finem communem, seu commune bonum. In hoc sensu per adversarios ortum habuerunt omnes status, ut ex superius dictis patet (1); per nos autem veniunt tantum communitates *verae*, verae *Respublicae*, in quibus nimirum communis fuit virium, ac bonorum possessio, ac in eorum fundatoribus reapse verificatur aequalitas tam onerum, quam commodorum, tam damno-

(1) *pag.* 46.

rum, quam utilitatum, et in quibus idcireo verum imperium summum *collectivum*, *collectivus* Dominus, seu Princeps agnosci potuit, ac potest, uti demonstrabimus ubi de Rebus publicis in secunda harum institutionum parte agemus.

Not. 3 Societatem generice cum adversariis dividimus in societatem simplicem, particularem, seu *parvam*, et *minorem*, ac in societatem *majorem*, seu *magnam*, nempe Statum; silentio praetermittentes vocabula societatis magis, minusque *compositae*, in sensu adversariorum per nos falsa, atque inania. Hisce praenotatis, societatis utriusque essentiam duabus sequentibus distinctis definitionibus, seu propositionibus statuimus.

PROPOSITIO

Societas *minor*, seu *parva* generice sumpta recte describitur quoties dicatur sive - *Unio, seu consociatio hominum sub aliquo dominio, aut imperio, aut potestate, non tamen summa, viventium* - sive - *Numerus hominum virtute relationum socialium connexorum, et sub aliqua potestate viventium* - sive - *Unio hominum, quorum aliquis liber, seu independens, plures vero*

non liberi, *sed dependentes sunt ab aliena voluntate* -

Societas autem *major*, ac quantumvis *magna*, seu Status aut Principatus generice acceptus, est - *Unio, consociatio*, *aggregatio*, *vel etiam coetus multorum hominum existentium sub communi potestate summa*, *quae subalternas societates*, ex. gr. paternam, herilem, ac familiae *dominatur*, *quaeque voluntatem eorum omnium, qui intra praefinitum territorium degunt, obstringere valet*. -

Prob. Utriusque societatis definitio. Illa definitio recta est, atque admittenda, quae ab adversariis rejici non potest; atqui generalis definitio, quam tradimus societatis tam *parvaè*, quam *magnae* ab adversariis rejici nequit.

Prob. min. Adversarii conveniunt de essentia cujuslibet societatis esse, ut hinc libertas, potestas, dominium, imperium; illinc servitus, subjectio, obedientia habeatur, alias enim neque unio, neque ordo ullus inter homines excogitari posset. Et sane; adversarii hac utique de causa potestatis, seu dominii, seu imperii, simulque subjectionis necessitatem adeo pro societate habenda agnoscunt, ut per eos potestatem ac imperium, saltem supremum, instituere necesse fuerit

virtute privatae potestatis *delegatione*, et servitutem, ac subjectionem per voluntariam *submissionem* erga unum vel plures, qui auctoritatem in alios homines exercerent, ut ab initio exposuimus (1); ergo etc.

Objic. 1. In allatis definitionibus causa effectrix nec dominii, seu imperii, ac potestatis, nec servitutis, atque subjectionis continetur; ergo etc.

Resp. Neg. cons. Ad definiendam enim societatem qualitercumque *minorem*, aut *majorem*, *parvam*, aut *magnam*, nequaquam requiritur, ut causa seu origo potestatis exprimatur; aliud siquidem est, quod ad constituendam societatem potestas requiratur, aliud est quaenam sit ejusdem potestatis effectrix causa, vel origo, a qua interim nos proinde abstrahimus, quamque infra ostendere non omittemus.

Objic. 2. Allatae definitiones nequidem finem, seu scopum societatis innuunt ergo etc.

Resp. Similiter dicendum, aliud esse quaerere, quaenam sit societatis essentia, et quinam sit ejus finis. Caeterum suo loco vide-

---

(1) *Vid. pag.* 5.

bimus, juxta theoriam nostram, nullum finem *absolutum*, et *exclusivum* in societatibus determinari posse, sed unumquemque hominem, vel *naturaliter* subjectioni obnoxium reperiri, vel *sponte* per contractus speciales, ac individuales pactiones aliorum voluntati, ac potestati juxta intentionem, necessitatem, vel desiderium proprium, ac juxta finem quem sibi proponit, se submittere.

Inst. Finis societatis *magnae*, seu Statuum saltem debet esse bonum publicum, commune, et aequale, ergo etc.

Resp. Dist. Antec. Finis Statuum debet esse bonum commune, et aequale si sermo sit de Communitatibus, seu Rebuspublicis, conc. si de Statibus Monarchicis, seu Principatibus neg: Hujusmodi distinctionis rationem ac fundamentum demonstrabimus, ubi de Monarchiis, et Rebuspublicis disseremus. Insuper suo loco probabimus, universalem legem naturalem *justitiae*, ac *benevolentiae*, cuilibet bono *communi*, et *aequali* satis equidem prospexisse, quin bonum idem in pactum deduci debere effingatur.

QUAESTIO II.

An admittendus sit status naturae, in quo homines aliquo ingenito jure morali in actionibus eliciendis obstringerentur; ita quod in eo exleges *nequaquam fuerint, nec sint.*

Not. 1. Quaestio haec huic alteri respondet, utrum homini ab ejus Auctore imposita fuerit aliqua lex, cui in suis actionibus moralibus se conformare, eamque observare deberet, utpote libertate donato, idest non coacto ad agendum; vel alteri respondet, utrum detur lex, quae discernat *bonum a malo* morali, *licitum* ab *illicito*; quaeque communiter lex *naturalis honestatis* nuncupatur. (1)

Not. 2. Lex naturalis, considerata quoad ejus objecta est juxta D. Thomam, *Participatio legis aeternae in rationali creatura, dictans, et praescribens, illud esse agendum, quod est intrinsece bonum, et per se necessarium ad finem naturae rationalis, et illud fugiendum, quod est intrinsece*

---

(1) *Vid, pag.* 56.

malum (1), quod nempe absque naturae rationalis dedecore, ac turpitudine amplecti nequiret. Lex autem aeterna, explicat Augustinus, est - *ratio Divina*, *vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens*, *perturbari vetans* (2); ordinem generalem nempe, ad quem res sunt institutae.

Not. 3. Actiones illae legi conformes veri Philosophi antiqui, ac moderni *bonas*, *justas*, *legitimas*, *debitas*, *virtuosas*; et e contra actiones illae legi difformes, *illicitas*, *malas*, *injustas*, *illegitimas*, ac *vitiosas* censerunt; unde habitus illas peragendi, *virtutem*, et peragendi has *vitium*, *turpitudinem*, *difformitatem*, nuncuparunt.

Not. 4. Iidem Philosophi loquendo de homine prout erga se ipsum afficitur, hoc est de officiis hominis erga se ipsum, inter *bona*, *et virtutes* recensent *sobrietatem*, *pudicitiam*, *benignitatem*, *humilitatem*, *submissionem*, ac id omne quod ad conservationem, ac perfectionem hominis tendit; malum ex adverso, ac reitatem censentes *intemperantiam*, *superbiam*, *mutilationem*;

---

(1) 1. 2. *Q*. 91. *art*. 2.

(2) *Lib*. 22. *Cont*. *Faust*. *Cap*. 21. *Tom*. 8.

perduellium , *suicidium*. Loquentes vero de hominibus ad invicem, seu de officiis hominum erga alios, bonum ac virtutem judicarunt *benevolentiam*, *miserationem*, *beneficentiam*, *generositatem*, *clementiam*; malum ex adverso vitium, ac reitatem putantes *cordis duritiem*, *ingratitudinem*, *mendacium*, *dolum*, *infidelitatem*, *stuprum adulterium*, *barbariem*, *homicidium*, *grassationem*, *scripturarum falsificationem*....

Not. 5. Recentiores Athaei, Deistae, Materialistae, Libertini, ac Juristae seu Scriptores increduli (fere omnes factiosi ac rebelles), horrendam doctrinam (jamdiu oblivione consepultam, atque obliteratam) *Archelai*, *Aristippi*, *Pironis*, *Lucretii*, *Epicuri*, *Spinosae*, *Hobbesii*, *Helvetii*, *Rousseau*, aliorumque (1) innovantes imo et ampliantes, distinctionem intrinsecam inter *bonum et malum morale*, inter *justum*, *et injustum*, inter *honestum*, et *turpe*, inter *licitas*, ac *illicitas* humanas actiones, consequenterque legem naturalem negarunt, specioso titulo ac praetextu *originariae* libertatis, seu independentiae *abso*-

(1) *Vid. Catech. cit. pag.* 48. 58. *et seq.*

lutae et *perfectae*, hoc est perfectae exemptionis a qualibet humana lege ac voluntate; nec non praetextu aequalitatis *universalis* inter homines. Hinc horum aliqui docuerunt boni, et mali moralis discrimen omnino repetendum esse ex hominum opinione, consuetudine, et conventis arbitrariis, quibus sese invicem obstringerentur, ut sive privatorum, sive societatis *utilitati* consulerent; adeo ut juxta eos sola utilitas sit *justi* mater et *aequi*; sublatisque hujusmodi pactis, et legibus arbitrariis, nihil honestum esset, aut turpe, nihil laudandum, aut vituperandum. Idem sentire dicendi sunt, qui post Helvetium putarunt, originem, ac progressum legum moralium, qualitatumque humanarum actionum, seu quod idem est, originem, et ordinem obligationum, ac officiorum hominis a conventionibus pariter, moribus, consuetudinibusque hominum, pro necessitatis, utilitatis, aliarumque circumstantiarum exigentia emersisse: ejusdem fere sententiae censendi sunt alii, qui regulas justi et injusti, virtutis et vitii a politica seu publica potestate omnino pendere commenti sunt: alii faetidi Carneadis vestigia sequentes summa impudentia docuere, legem naturalem in hoc consistere, ut homo voluptatibus omnibus, praesertim libidinosis liquescere, ac se in-

gurgitare possit, aut debeat. Alii autumarunt, homines utpote originaria, ac per eos *illimitata*, atque indefinita libertate donatos vinculis nequaquam devinci posse, nisi per *actum propriae voluntatis*, aut nonnisi virtute legum per deliberationes collectivas aeditarum, nonnisi arbitrariis nationum constitutionibus, et ut postremis eorum loquendi formulis utamur, nonnisi a *generali populi voluntate*: alii conventionem *realem*, aut *fictam* inter totum genus humanum pro naturali lege admittenda somniarunt; alii in hominis *ratione*, quam *legem supremam* vocarunt, constituere: tandem alii legem naturalem ad minus corruptam, depravatam, ementitam, deformem, absurdam ac repugnantem in medium attulerunt, inter quos numerantur non pauci Juristae Protestantes, fere omnes in Universitatibus Professores, qui caeteroquin *defensores*, *vindices*, *ac restauratores* Juris naturae se jactitarunt. (1)

Not. 6. Ex hactenus observatis evidenter patet, quod cum hujusmodi opinionum mon-

---

(1) *Vid. Catech. nostr. Finetti, et Tamagna jam citat.*

stris fundamenta disciplinae Moralis, Religionis, et Societatis concutiantur, summopere intersit opiniones illas refellere, atque ablegare omnino. Propterea eas omnes duabus distinctis propositionibus refutabimus, ac diluemus; primo nempe discrimen verum ac reale inter bonum, et malum morale, secundo naturalis legis existentiam haud brevi calamo statuentes. Sit igitur

PROPOSITIO

Bonum et malum morale ex natura sua differunt: seu datur actuum humanorum naturalis moralitas, *naturalis nempe* bonitas *aut* malitia *moralis. prout actus naturalibus regulis conformes sunt, vel difformes.*

Prob. I. ex historiis, saltem negative. Si idea, origo et progressio boni et mali moralis, honesti et turpis, justi et injusti, liciti et illiciti; si *moralitas*, uno verbo, actuum humanorum repetenda est ab hominum institutis, ratiocinatione, judicio, ac legibus, prout adversarii somniarunt, nos ab ipsis adversariis jure quaerimus ubinam, quanam in mundi aetate, quanam in orbis parte, et a quo, vel a quibus idea, origo et progressio illa, qualitatesque actionum moralium initium duxerint; cum enim leges ab hominibus la-

tae, etiam per adversarios totidem regulae fuerint humanarum actionum pro communi bono, communique populorum felicitate, nequaquam praesumendum esset, quod historici ac Scriptores ea omnia silentio praetermittere voluerint; atqui penes ipsos de iis nulla mentio habetur; ergo etc.

Prob. 2. Argumento ex absurdis. Hypothesi primigenii status *exlegis* semel admissa, sublatoque essentiali discrimine inter bonum et malum morale, profecto sequeretur, quod ejusdem qualitatis, indolis et naturae prorsus censendi forent tam sensus, quam actus hominis aeque ac bruti, licet ille ab hoc forma, ac facultatibus potentiisque physicis, ac intellectualibus essentialiter discretus evidenter dignoscatur: quod unum ac idem esset sive bos cornu, sive homo constructis armis hominem peteret: quod unum ac idem esset, sive homo se ipsum perimeret, sive servaret: si fortior lactentem infantem, aliumve debiliorem hominem occideret, et si callidior hominem hebetum deciperet; si herus in servos, pater in filios, conjux in sponsam, medicus in aegrotos, praeceptor in discipulos saeviret. Ea hypothesi semel accepta, non insuper sequeretur, quod unum et idem esset hominem vel amore, vel odio prosequi; indigentem subvenire aut oppri-

mere; erga sibi similem vel crudelitate, vel animi magnitudine se habere? Nonne fidem et dolum, justitiam et injustitiam, veritatem et mendacium, ordinem et perturbationem, pacem et bellum, proditorem et benefactorem, principem et tyrannum confundere atque coequare necesse foret? Ast quisnam hoec absque fremitu, horrore, atque execratione concipere valeret?

Prob. 3. Ex naturae voce, seu ex congenito amore erga virtutem, et odii erga vitium. Homo, procul dubio, naturali animi sensu virtutem diligit. Veritas haee praeclare legitur in primo atque originario naturae codice, in puerili scilicet aetate, in qua natura ipsa operatur ac loquitur; in pueris scilicet nondum *factitiis* opinionibus praeventis sive praeoccupatis. Et re quidem vera, inter eos de praeminentia agitur? quisque merito deferunt atque tribuunt. Aliqua inter ipsos oboritur contentio? Cui jus debeatur, cuique injuria inferatur agnoscunt, idque, adeo ut raro decipiantur. Jocula, sive poma sive flores ipsis tolluntur? Voce, clamoribus, lacrymisque furem persequuntur. Si interrogentur, quis nam eorum caeteris bonitate praestet, unus alio promptior sollicite respondit - Ego -. Odium e contra erga vitium in puerulis ipsis est natura insitum,

seu inditum. Qui enim inter ipsos male agit, in secretiori parte, ne objurgetur, neque verberetur, sese abdit, satisque dignoscit ac discernit, si juste aut injuste poena plectatur. Perbelle itaque locutus est Tertullianus dum ait, quod - *Omne malum aut pudore, aut timore natura perfudit*.

Si de adultis loquamur, eorum quisque veritatem eamdem plane in corde suo experitur. Quoties de facto violentiae obnoxium quemquam videmus, indignationem in nobis ipsis cohibere nequimus, licet illum ullo pacto noscamus: hac de causa, sicut ira tabescimus quando et Catilinae, et Caligolae, et Neronis probra ac facinora legimus, sic et animo exhilaramur quum Titii clementiam in ejus fastis intuemur. Et non in theatris ipsis inhumana facta execramur, dum aliunde praeclaris rebus gestis laetamur?

Nec tantum in pueris, adultis et morigeris, sed et in ipsis depravatis hominibus connatus inest amor virtutis, odiumque vitii. Et quidem, si optio scelestis ipsis daretur, potius *Scipionis* quam *Caesaris*; potius *Agesilai*, *Timoleontis*, *Dionis*, quam *Nabidis*, *Phalaridis*, *Dionisii*; potius *Titi*, *Trajani*, *Adriani*, *Antonini*, quam *Tiberii*, *Neronis*, *Caligolae*, *Diocletiani* nomen si-

bi darent; potius uno verbo *virtutem* quam *probra* diligerent.

Sed strictius adversarii adhuc urgeantur. Non scelestis tantum, sed insuper barbaris ipsis, ait Divus Augustinus, interiori animi vi coguntur amare virtutem. Ajebat enim laudatus Doctor; si non omnes virtutis vim agnoscunt, omnes tamen virtutis suavitates ac delectamenta sentiunt. Quid plura? Si efferati illi homines, qui inhospitas Americae oras inhabitant, ab Europaeis illuc euntibus charitate, humanitate, suavibusque modis tractentur, justae eorum subjectioni, demulctis animis subjiciuntur. (1)

Sed et amplius progreditur argumentum. Virtutis amor, et obsequium eo usque excrevit, ut saepissime homines Templa et Altaria viris illis erexerint, quos virtutibus prae caeteris ornatos perspexerunt, et virtutum intuitu etiam eorum vitia consecrarunt. „ *Quae natio*, cum summo Latii Oratore (2) dicemus, *non comitatem, non benignita-*

---

(1) *Lib.* 5. *De Civ. Dei Cap.* 18. *etc. et Lib.* 14. *C.* 17.

(2) *Lib.* 1. *de Leg.*

tem, non gratum animum, et beneficii memorem diligit? Quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? „

Quid amplius? Recentiorum pseudo-Moralistarum ipsi conatus pro vera moralis sensus definitione, et explicatione, nonne perlucide probant hujusce moralis sensus existentiam in hominis corde? Prius etenim hunc moralem sensum admiserunt, dein rejecerunt; exinde denuo illum admiserunt, et rejecerunt iterum, donec falso impioque systhemate hunc sensum in corde hominis quidem insitum, materialem vero, seu *corporeum* habendum esse statuere. Hinc corporis sensus, non amplius quinque, sed sex, videlicet *visum, auditum, gustum, odoratum, tactum,* et *moralitatem corpoream* deinceps adnumerare fas erit. Oh magnum ac gloriosum progressum luminum et coruscationum hujus saeculi argumentum!!! Circa horum insaniam videatur Tassoni, (1) et comes Roberti (2).

---

(1) *La Relig. dim. e dif. Tom. II. cap.* 17.

(2) *Proposte di sei dubbj. Praesid.* 1. *Vol.* 1. *Venezia* 1826.

Pulchre ac perbelle sit hic in particulari addere, hunc hominum generalem assensum locum quoque contra vitium habere a modernis Pseudo - magistris celebratum, libidinem nempe, impudentiam, et impudicitiam, et hinc ad virtutem confirmandam magis ab ipsis spretam ac persecutam, qualis est pudicitia, modestia, et castitas. Ad quod probandum, silentio revera magnum regem Persiae Cirum praetermittemus ab antiquis omnibus sapientibus maxima fuisse laude donatum quia sese a periculis abstinuit, oculosque ita cohibuit, ut nunquam in formosam pudicissimae Pantheae faciem intenderit: nil pariter dicemus de Socratis severitate, quem Plato laudibus est prosecutus, quia in periculis veluti fraeno suam devinciebat voluntatem; nil de Antigono Asiae Rege, qui mulierem specie decoram Dianae Ephesinae templi servitio mancipatam amore prosequens, illico Æphesum prolabens, propriam in tuto virtutem posuit, Civibus tam inclyti facinoris exemplum atque admirationem relinquens; nil de Scipione Africano, qui, Secretario Florentino referente, perpulchram amatori suo sponsam intactam reddens, majorem hoc facto sibi gloriam comparavit, quam si Carthaginem expugnasset; ex quo factum est, ut proinde totas sibi Hyspanias pacifico faedere

conciliarit. At si praeclara haec gesta silentio omisimus, quid mox nobis dicendum erit? Profecto dicemus, pudicitiam ante hominum inhonestorum tribunal virtutem jugiter nuncupandam fore. Mollis Persia enimvero magni Alexandri continentiam ad caelum laudibus extulit; itemque luxuriosa Carthago Scipionem Africanum propter sui castitatem tanta laude affecit, ut ejus Cives factum hoc in clypeo aeternarint. Graeca historia cujusdam Miccae virtutem immortalitate dignam existimavit, quae ne pudicitiae suae jacturam ferret, gladio sibi vitam abripuit. Quid laudis in Lucretiae, Virginiaeque virtutem Romanorum historia posteritati non amandavit, eo quod illa propria, haec paterna manu propter pudicitiam mortem subjerint: et quod majus est totus orbis eorum laudibus plausit. Quidquid verum aliter Sophistae sentiant, inconcussum prorsus est, omnes sicut harum pudicitiam laudibus existimarunt; sic ex adverso Semiramidis, et Cleopatrae, Tiberii et Eliogabalis, aliorumque de grege porcorum, licet auro, gemmisque nitentium, noxia, flagitiosaque scelera execratione damnarunt. Pro personali culpa facile quisque sibi indulget; ast pro aliorum justum semper se praebet judicem. Quod si nefandis Numinibus quandoque Gentiles aras

devovere. haud tamen illa propter eorum flagitia coluere laudando, neque ut immunda effinxerunt. Oh mirum! licet Idololatrae vitium in superis deificatum viderint, non ideo tamen illud sequi licitum sibi putarunt. Ait enim Russojus - *Mentre che si celebravano le dissolutezze di Giove, ammiravasi la continenza di Socrate, e la casta Lucrezia adorava l'impura Venere* - et dici quoque potest, Lucretiam ad propriam honestatem servandam se addictam existimasse. Ac praeterea in historiis legitur, quempiam auxilio sibi non impurum Jovem aut Venerem incestam, sed castam Dianam pudicamque Palladem invocasse; sed quod magis mirandum est, mundus inhonestatem colens, sibimetipsi veluti jure pudicitiae sequelam injunxit. Adeo verum est, quod in ipsa depravatione ac caecitate naturalis sensus actuosus remansit! Quid autem de Virginitatis excellentia, quae pudicitia pretiosior virtus est, quid sensit mundus? Virtus haec excellens, et a Gentilibus Philosophis eodem modo est agnita, quo castitas virtus caeteris praeferenda habita est: Socrates enim castarum animarum vitam, vitae Deorum assimilabat: quinnimo et ipsos apud Paganos excellens virginitatis decus permagnam habuit aestimationem. Colligitur namque ex vetustio-

ribus historiis, nullum sine Virginis interventu Sacrificium expletum umquam fuisse: et in solemnioribus Festi diebus, canentes Puellarum chori aderant, cum pro certo habuerint Gentiles, virgineum candorem illius aetatis proprium, Caelitibus gratiorem esse. Vestales tam a Romae incolis celebratae, ut decore ipsos quoque Consules praeirent, Virgines esse debebant. Virgines quoque Sybillae praedicabantur: inter insignes XII. tabularum leges haec erant inscripta. – Divos castae adeunto – Dum preces solvebant Diis nullam faciliorem esse viam gratias merendi existimabant, quam se castos adorandum offerre, vulgatumque erat aeffatum illud – *Agli Dei piace la Castità* – Huic tantummodo aetati igitur serbatum erat, ipsas doctrinas et opiniones Paganorum circa continentiae, castitatisque virtutes oppugnare. Oh mirabile vere progressum hujus novae Philosophiae luminum !!! Ironiam linquamus. Oh dominantis Philosophiae dogmatum dedecus sempiternum!!! (2)

---

(1) *Vid. Nogher. rifles.* 24 *sulla nat. uman. Tom.* 2. *et Tasson. Tom.* 3.

Sed et ad nostram propositionem magis confirmandam, inhonestus, incredulusque Philosophus in medium proferatur, Russojus nempe, qui lucido quodam mentis intervallo sic dolens ait – Ecco tantosto si solleva ,, contro di me questa Filosofia di un giorno, che nasce, e muore nell' angolo d' una ,, gran Città, e vuol di quì soffocare il grido della natura, e la voce unanime del ,, Genere umano. Pregiudizj popolari, mi si ,, grida, piccoli errori dell' infanzia, inganno delle leggi, e della educazione! Il pudore non è cos' alcuna; perchè avrem noi ,, da vergognarci? . . . . I tuoi *perchè*, dice Iddio, non finirebbero mai. Non già ,, però all' uomo, ma al suo Creatore egli è ,, che conviene indirizzarli. Non è ella cosa ,, curiosa, che bisogni dire perchè io abbia ,, vergogna di un sentimento naturale, se ,, questa vergogna non mi è meno naturale di questo stesso sentimento! Appartiene forse a me di render conto di ciò ,, che ha fatto la natura? Secondo siffatta maniera di ragionare, quei che non veggono ,, perchè l' uomo esista, dovrebbero negare ,, che esista (1).

---

(1) *Tratt. letter. moral. sulla Commedia Art. Spettac.*

Prob. tandem ratione. Certo certius est, nequaquam concipi posse, quod aliqua conventio valida sit, ac vim habeat, nisi presupponatur, homines ad pacta et conventiones servandas teneri, et quod earum observantia *naturale* bonum sit; sicuti e contrario concipi nequit, quod violatio pactorum et conventionum sit malum *naturale*; nam pactio et conventio basi, ac fundamento careret. Hinc ita arguere fas est. Istae duae propositiones - *Fidem in pactis servare, legibus obtemperare bonum est, easque violare malum* - vel in seipsis verae sunt, vel non; Si prius; ergo bonum et malum morale ex natura sua differunt. Si posterius; ergo licitum est pacta, legesque positivas infringere, et furta, adulteria, homicidia, aliaque hujusmodi facinora perpetrare, ac proinde etiam post leges conditas, initaque conventa, nihil erit boni vel mali; quod pugnat cum adversariorum placitis, qui boni et mali discrimen nonnisi ex pactis, et legibus repetunt. Ablegata igitur naturali lege, petimus ab Adversariis, modernis Libertinis, ac Scriptoribus omnibus rebellibus, quid sint pacta inter homines? quid conventiones sociales? quid socialis contractus? quid Constitutiones, seu machinae artificialis regiminis? quid Charta eas continens? quid deliberationes solle-

etivae in Comitatibus? quid Principes facti-tii? *Verba, verba, praetereaque nihil*, si tamen arbitrariae legum interpretationes, contrariae opiniones, dissensiones, tumultus, factiones, defectiones, proditiones, rebelliones, hominum carnificina excipiantur. Horum omnium malorum experientia, ac tota Europa indubium teststimonium praebet.

Prob. tandem ex fine, ad quem homo naturaliter tendit ac determinatur, ad sui nempe felicitatem (naturae tamen rationali *propriam*), quod certum est per omnes Juristas. Ast si hominis finis est felicitas, media in rerum natura debent admitti, nec non libera facultas in homine utendi illis mediis naturalibus ad illam consequendam; sed ita tamen, ut unus felicitati alterius nequaquam obstet, alias homines non felicitati sed infelicitati obviam irent. Igitur naturalis lex, seu regula (quam regulam esse legem naturalem *justitiae* et *benevolentiae* infra ostendemus) necessario admittenda est pro recto ac utili usu eorumdem mediorum, juxta quam nimirum quilibet homo actiones proprias, tam pro sua, quam pro alterius felicitate componere debet; qua naturali regula morali proinde *naturalis ordo socialis* constituitur. Si igitur homines huic legi se conforment, finem ad quem tendunt consequuntur, atque

ordo naturalis servatur, quod evidenter *bonum est:* si autem invicem legem illam homines violant, finem non obtinent, ac ordo ipse violatur, id quod evidenter *malum est*. Datur igitur, ut undequaque evidens est, realis distinctio inter bonum et malum morale in natura fundata, cuicumque pacto idcirco, cuicumque conventioni, instructioni, vel institutioni sociali anterius.

Quaer. An si cum Baylo, et Shaftebury aliisque admittatur, quod leges naturae proficiscantur ab aeterna ratione, quae est ipsamet immutabilis Dei essentia, inde concludi possit, quod aeedem leges existant relate ad rationem humanam, seu quod fundentur in humana ratione etiam absque ulla idea existentiae Dei quodque detur idcirco per Athaeos realis distinctio inter bonum et malum *morale?*

Respond. negative. Hanc opinionem quam maxime perniciosam ob illationes, quae deduci exinde valerent, Zellius sequentibus argumentis merito refellit.

„ Questi Filosofi hanno trovato il loro con„ to accorrere al dettaglio delle azioni par„ ticolari per dimostrare il bene, ed il ma„ le distinti, indipendentemente dalla idea „ di Dio, sfuggendo sempre il punto di vi„ sta generale, che in fatto di ragionamen„ to dovea decidere la questione. Ora se si

„ vuol ragionare, la dimostrazione è sem-
„ plicissima. Vi sono de' rapporti naturali
„ tra gli uomini, dunque vi sono delle leg-
„ gi naturali; vi sono delle leggi naturali,
„ dunque v' è un' ordine, un' armonia; v' è
„ un' ordine, un'armonia, dunque v' è una
„ causa intelligente, un Dio, che ha creato;
„ che conserva, che governa la natura. Par-
„ tiamo ora dall' Ateismo. Non v' è Dio,
„ dunque non v' è causa intelligente, la na-
„ tura non è l' effetto di una intelligenza,
„ dunque non v' è un vero ordine, una ve-
„ ra armonia, dunque non vi sono tra gli
„ esseri de' distinti rapporti, dunque non vi
„ sono leggi, dunque non v' è una real di-
„ stinzione tra il bene, ed il male. Ma quan-
„ ti onesti uomini conta l' Ateismo? Un' A-
„ teo è capace di dire secondo le più esat-
„ te regole della morale. A tutti gli esempj
„ di dettaglio conviene una medesima ri-
„ sposta, ed è la seguente: o l' Ateo distin-
„ que il bene dal male relativamente al pro-
„ prio interesse del momento, nel quale giu-
„ dica, ed allora la distinzione tra il bene,
„ ed il male è per esso arbitraria, e si mo-
„ della sulle sue passioni, e questo è il ca-
„ so il più comune; o l' Ateo distingue il
„ bene dal male perchè conosce un' ordine,
„ un' armonia nella natura, e vi si confor-

„ ma, ed allora è forzato riconoscere una
„ causa intelligente se vuol'essere ragionevo-
„ le, altrimente non è conseguente a se stes-
„ so. Si contradice, è un pazzo dimostrato
„ in fatto di ragionamento. „ Ast quomodo, nos addimus, quomodo Baylus oblitus fuit propriae illius sententiae, qua Athaeos amicos suos celebravit, eos nuncupando
„ anime bruttate di ogni sorta di vizj, e
„ capaci delle più nere scelleratezze? (1)

Quidquid autem sit de numero (equidem parvo) hominum honestorum, de quibus Atheismus gloriari valcat, subdimus cum clarissimo Tassoni (2)

„ Volgendoci ai Filosofi, i quali avendo
„ idea di Dio, l'escludono, lo negano, lo
„ rigettano, sia pure, che alcuni per circo-
„ stanze particolari, per acquistar credito,
„ per imporre, o altri motivi, siansi con-
„ dotti, o si conducono lodevolmente. Noi
„ non ragioniamo sul fatto, ma sulle con-
„ seguenze, che discendono dai principj.
„ Ora un' Ateo, che non conosce nè do-
„ veri, nè fine, che non cerca che il suo
„ privato bene, il di cui principal movente

---

(1) *Pens. diver*
(2) *Tom, II. cap.* 7.

„ è l' interesse personale, non può non es-
„ sere uno scellerato, se è coerente ai suoi
„ principj. Rousseau, che pensava anch' es-
„ so una volta, che si potesse esser virtuoso
„ senza Religione, si ritrattò poscia, e con-
„ fessar dovette parimenti il suo errore: *fui*,
dice, *lungo tempo in questa opinione fallace, ma ne sono ben disingannato.* (1) Levis momenti forsitan confessio hujusmodi habenda erit?

PROPOSITIO II.

Existit lex naturalis in essentia rerum fundata: seu: in omnium mentibus lex naturalis existit.

Prob. 1. ex hactenus demonstratis. Et sane; tunc lex naturalis existit, nec homo naturaliter *exlex* est, quotiescumque essentiale discrimen intercedat inter bonum et malum morale, seu quotiescumque humanarum actionum *moralitas* necessario admittenda sit;

---

(1) *Oper. di Rous. stampat, in Amsterdam l'anno* 1761. *Tom. II. pag.* 149. *nella Nota.*

nam discrimen hoc et moralitas haec necessario supponit comparationem boni cum malo, et comparatio ipsa regulam naturalem, qua discernantur supponit; atqui discrimen illud, illamque moralitatem historiis, argumento ab absurdis, sensu morali in omnibus hominibus indito, naturae voce seu ingenito amore erga virtutem, et odio erga vitium, ipsorum paganorum sententia, et ratione naturali admittendam esse demonstravimus; ergo etc.

Prob. 2 Auctoritate antiquorum Scriptorum. Antiquiores fere omnes Philosophi atque Sapientes, tam Graeci, quam Latini, Pythagoras nimirum, Socrates, Plato, Aristoteles. Antistenus, Zenon, Cicero, Seneca, Epittetus, Marcus Aurelius, aliique quam plurimi summae celebritatis Viri (quibus et Poetae non pauci addi possent) legem naturalem, ac proinde naturales obligationes, et naturalia officia in homine (praeter ea que Deo debentur) tam erga se ipsum, quam erga alios docuerunt, ac defendere. Et re quidem vera, sicut e Philosophis antiquioribus ante Protagoram nullus, teste Tullio. (1), vel-

---

(1) *Lib. 1. de nat. Deor. Vid. Nogher. sulla Natura Uman. Rifles. 16.*

fere nullus, reperitur, qui de Dei seu Divinitatis existentia dubitaverit, nec ante Diagoram, Theodorum (per annos ter mille et amplius); sic ante Archelaum nemo fuit, qui naturalem legem adulteraverit, neque qui ante Aristippum illam negaverit (1). Primis sane temporibus homo peccabat, sed peccando malum patrare in corde suo saltem dignoscebat. Ast postquam peccator philosophare caepit, ut egregie observat Lactantius, voluit, ut ejus culpae miseratione dignae non solum, sed etiam rationabiles viderentur - *Videri vult non modo cum venia, sed etiam cum ratione peccare* - (2)

Prob. 3. Ex universali omnium gentium consensu, (3) seu consensione pene mirabili

---

(1) *Quum de Aristotilis sententia nonnulli dubitare voluerint, eam proinde in medium proferimus* - Est quoddam, *ait ipse*, quod augurantur aut profitentur omnes, natura commune justum aut injustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaque pactio - *Reth*. §. 1. *C*. 10. 13.

(2) *Instit. C*. 24.

(3) *Consensio omnium gentium lex naturae putanda - omnium consensus naturae vox est - ait Cic. Turc. cap.* 13. *et* 15.

tam legislatorum, qui leges ediderunt, quam populorum, qui eas receperunt circa primaria legis moralis objecta, ea nimirum, quae absque ulla mentis operatione dignoscuntur (1). Veritas haec, de qua non est ambigendi locus, speciatim clarescit in duobus celebrioribus Athenarum et Romae populis. His profecto sicut acceptare, sic et leges respuere pro lubitu erat, et si adversariis placet, *collectivi principes* in eorum sensu appellentur. Nihilo tamen secius, quoad primaria legis naturalis honestatis praecepta, unus et idem erat omnium assensus. Cur nam, petimus, circa haec praecepta, quae vincula quidem, et ligamina sunt libertatis humanae, ita res apud hujusmodi populos se habuit? Cur nam propriam libertatem talibus legibus perlubenter se subjecebant? Cur nam *novis* (in adversariorum hypothesi) devinciebantur

---

(1) *Dicimus* primaria *quae absque ulla mentis operatione agnoscuntur; nam* secundaria *cum ratiocinium et meditationem requirant, quaestionibus et falsae applicationi obnoxia sunt, ut non raro accidit in omnibus scientiis, hominum passionibus, seu cupiditatibus etiam seclusis.*

tur vinculis? Profecto, quia prima principia, et praecepta moralia per legem naturalem alta mente defixam, jam in corde cujusvis profundius jam insidebat. Hinc eo modo, quo si principia illa speculativa - *Sol splendescit* - *Effectus a causa dependet* - *Totum est majus sua parte* - *Idem non potest simul esse et non esse* -, et similia alia, alicui proponantur, statim absque ulla ratiocinatione eis praebet assensum; sic pariter absque ulla sive ratiocinatione, sive conventione sive sociali instituto, assentiretur si pro practicis principiis proponatur - *Divinitatis cultus; patriae amor; erga parentes obsequium; magistratibus obedientia; quod tibi non vis fieri, alteri ne facias* - Ubinam, insuper petimus, ubinam in historiis adversarii nostri exempla indigitare possent aliquorum populorum, qui rebelles fuerint aut insurrexerint ob promulgationem legum primariis hisce principiis moralibus conformium? Perplura e contra in historiis reperire haud difficile forent exempla rebellionum, quibus populi sese dederunt ob leges in sensu pseudo-philosophico arbitrarias a Principibus latas.

Confirmatur argumentum peculiari, ac memorabili Atheniensium exemplo. Temistocles, ut satis compertum est, Senatum alloquens,

suggessit comburendum fore navale omne Graecorum, ut Graeciam totam subjugaret. Verum consilium hoc, caeteroquin perutile, Athenienses neutiquam approbarunt, quinimo tamquam *inhonestum* ingentibus clamoribus sprevere. Quare hoc? Non alia equidem de causa, nisi quia ipsis Atheniensibus defixa in animo erat lex naturalis honestatis. Non alia itidem de causa in historiis legimus, Romanos, in eorum splendidiori aetate, lucra et dona infidelitate, dolo, ac violentia exhibita aspernatos fuisse. Quisnam insuper ignoraverit animi generositatem, ac magnitudinem Curiorum, Fabriciorum, aliorumque hujus generis virorum? Velint, itaque, nolint adversarii, non legislatores, sed *naturalis honestas* leges aeque ac Legislatores invexit; et virtus ac justitia priusquam homines virtuosi, justique essent jam existebat. Talis est vera legum fons, atque origo.

Prob 4. Ex incredulorum Philosophorum auctoritate, inter quos sat erit verba Russoji afferre - *Gettate*, ait ipse, *uno sguardo su tutte le nazioni, scorrete le istorie tutte in mezzo a tanti culti inumani, e bizzarri, in mezzo a cotale prodigiosa discrepanza di costumi, e di caratteri, voi troverete le stesse idee di giustizia, e di onestà, dapertutto le identiche nozioni del bene; e*

del male. L' antico paganesimo generò Dei abbominevoli, che sariansi puniti quaggiù come malfattori, e per immagine della suprema felicità null' altro offrivano, che misfatti a commettere, e passioni da contentare; ma il vizio armato di una sacra autorità indarno scendeva dall' eterno soggiorno; l' istinto morale lo rispingeva dal cuore umano .... La santa voce della natura più forte degli Dei si facea rispettare sulla terra, e parea rilegare nel Cielo e il delitto, e i delinquenti .... Esiste dunque, (prosequitur ipse) *nel fondo delle anime un principio innato di giustizia, e di virtù, sul quale, a malgrado delle nostre proprie massime, giudichiamo le nostre azioni, e quelle degli altri come buone o cattive* - (1)

Quod si objceretur hic cum Montaigne, aliisque, quod morum principia non eadem fuerint paenes aliquos populos, idem Rossojus statim respondit - *Contro l' evidente uniformità del giudizio degli uomini, vanno essi cercando nelle tenebre alcuni oscuri esempii; quasiche tutte le inclinazioni della na-*

---

(1) *Emil. Tom. III. pag.* 31. *Ed. di Amsterdam* 1766.

tura fossero annichilate dalla depravazione di un popolo, e come se per esistere de mostri, gia nulla diventasse la specie. Ma che servono allo scettico Montagne, le pene, che si procaccia per disotterrare in un cantone del mondo una costumanza opposta alle nozioni della giustizia? Alcuni usi malcerti e bizzarri, fondati su delle cause a noi sconosciute, struggeranno essi l' induzione generale cavata dal concorso di tutti i popoli, opposti in tutto il rimanente, e d' accordo su questo sol punto -? Quid jucundius, quam hostium armis vincere ac triumphare?

Prob. 5. Auctoritate Juristarum illorum, qui nobis circa Societatis, vel Statuum saltem originem, naturam, et scopum adversantur; Bodini scilicet, Grotii, Joannis Seldeni, Puffendorfii, Val entini Alberti, Thomasii, Wolfi, Barbeyracii, Burlemaquii, Heinnecii, aliorumque. Quamvis enim horum systema, vel circa principium, seu fundamentum, vel circa subjectum, vel circa finem, vel circa vim legis naturalis plus minusve imperfecta sint (1), ejus tamen existentiam adstruunt ac defendunt.

---

(1) *Vid. pluries citat. Finet. Tamagna, et Catech. nostr. pag.* 30. *et* 58. 64.

Prob. 6. Mirabili doctrina summi Philosophi ac Oratoris romani, qui verbis paene divinis assertum nostrum undequaque confirmat atque coronat. „ Est quidem, ait, vera lex, „ recta ratio, naturae congruens, diffusa in „ omnes, sempiterna, quae vocet ad officium „ jubendo, vetando, a fraude deterreat, quae „ tamen neque probos frustra jubet, aut ve- „ tat; nec improbos jubendo, aut vetando „ movet. Huic legi nec abrogari fas est, ne- „ que derogari ex hoc aliquid licet, neque „ tota abrogari potest. Nec vero aut per Se- „ natum, aut per populum solvi hac lege „ possumus; neque est quaerendus explana- „ tor, aut interpres ejus alius. Nec erit alia „ Lex Romae, alia Athenis, alia nunc, „ alia post hac; sed et omnes gentes, et „ omni tempore una lex, et sempiterna, et „ immutabilis continebit; unusque erit com- „ munis quasi magister, et imperator omnium „ Deus, illae legis hujus inventor, discepta- „ tor, tutor; cui qui non parebit, ipse se „ fugiet, ac naturam hominis aspernatus, „ hoc ipso luet maximas paenas, etiamsi cae- „ tera supplicia, *quae putantur effugerit* (1).

(1) *De Repub. apud Lactant. lib.* 6 *Institut. Cap.* 8.

Ex hactenus plusquam satis adductis pro légis *naturalis honestatis* existentia, facile colliguntur ejusdem legis proprietates, seu notae; quod nempe, utpote in ipsa natura Divina et humana fundata, sit *aeterna, necessaria, universalis, immutabilis, certa* et *clara*, de quibus proprietatibus sermo redibit infra, ubi de speciali lege naturali hominum ad invicem, disseremus, de saepius videlicet memorata naturali lege *justitiae* atque *benevolentiae*.

QUAESTIO III.

An admittenda sit hypothesis primitivi status naturae omnino exstrasocialis, in quo nimirum homines, solitarii, dispersi, segreges, et absque ulla relatione sociali, seu absque societate simplici, sive conjugali, sive paterna, sive familiae, ita ut in plena aequalitate, et libertate vixerint, et an hujusmodi status naturae unquam extiterit alicubi, vel extet modo.

Not. 1. Relatio generice loquendo est · *aptitudo seu habitudo*, aut *dispositio* sive *determinatio unius ad aliud*; quorum unum propterea sine altero concipi nequit, ut e. g. paternitas, et filiatio, filiatio, et paternitas.

Relatio sic accepta dividi potest in *physicam*, *moralem*, et *socialem*. Relatio physica est *habitudo*, ac *dispositio* seu *determinatio rei physicae respectu alterius rei ejusdem naturae*; ut ex gr. dispositio terrae respectu maris, aquae respectu ignis, arboris respectu lapidis, astri respectu alterius corporis caelestis; ex qua dispositione seu habitudine *ordo physicus* exurgit. Relatio *moralis* est *habitudo*, *seu dispositio*, *ac determinatio*, *qua homo*, *utpote libertate donatus potest ac debet actiones suas componere* ad praescriptum legis moralis; quae relatio proinde cum obligatione confunditur, atque ex ea *ordo moralis* constituitur. Relatio *socialis* tandem, de qua praecipue ad rem nostram est *habitudo*, seu *dispositio hominis ad se uniendum*, ac *devinciendum alteri*; seu, ut aliis verbis utamur, *ad inducendam societatem*. Quia vero societas haberi nequit absque libertate, seu independentia, ac dominio seu imperio ex una parte, et absque dependentia, subjectione, ac servitute ex altera: et quia impossibilis foret societas, quoties omnes omnino homines vel imperare, vel omnes omnino obbedire possent ac deberent, ideo nomine relationis socialis, duplex relatio, et si ita loqui fas est, *bilateralis relatio* venit; dispositio scilicet, habitu-

do ac determinatio in aliquibus hominibus ad libertatem aut independentiam, ac imperium exercendum; et dispositio ac aptitudo in caeteris aliis ad dependentiam, subjectionem, servitutem subeundam; ex quo *ordo socialis* habetur. Hinc socialis relatio ipsa, aut *libera*, seu *independens*, ut relatio patris ad filium, domini ad servum, magistri ad discipulum, divitis ad inopem, principis ad subditum, vel e contrario *dependens* seu *serviens* nuncupari potest, ut relatio filii respectu patris, servi respectu domini, discipuli respectu magistri, pauperis respectu divitis, subditi respectu Principis. Ex his satis colligitur, quod relationes, praesertim sociales, *connexiones*, *vincula*, ac *ligamena* quoque vocentur; quodque si societatis essentia a *priori* inspici vellet, breviter definiri posset. - Unio hominum emergens per relationes sociales *independentes* ex uno latere, et *dependentes* ex altero.

Nota 2. Relationes inter virum et uxorem, inter patrem et filium, inter patres familias, et eorum descendentes, etiam juxta permultos ex nostris adversariis *naturales* esse, hoc est ex naturae dispositione, seu vi humanae naturae proficisci, quamvis easdem relationes *supervenientes*, seu *adventitias* appellant, et quamvis in his relationibus, (ajunt ipsi,

humano facto quis reperiatur (1). Nos vero relationes supervenientes, (aeque ac supervenientem statum moralem) admittimus tantum, quatenus ex facto, seu pacto individuali, non autem *simultaneo*, et ex *collectiva* deliberatione pendeat (2)

Not. 3. Jam exposuimus, quomodo Puffendorfius, et Heinnecius, post alios, statum naturae extra-socialem, ac proinde miserrimum finxerit; quomodo Vicus, et Dunius fabulis Russoii accesserint; et quomodo incredulus hic statum naturae, nedum extra-socialem, sylvestrem, ac belluinum, verum etiam anti-socialem, et tamen juxta eum tamquam *felicissimum* exoptandum, somniaverit. (3)

Not. 4. Figmenta illa, aut turpia, aut impia refutaturi erimus etiam universalibus legibus naturalibus, quae duplicis generis sunt. Aliae scilicet sunt leges *physicae, et necessariae*, quas idcirco perfringere, seu perrumpere impossibile est, ut impossibile esset impedire proprietatem, quam habet ignis calefacien-

(1) *Noro* §. 12. 13. 16. *Zalling. aliique.*
(2) *Vid. pag.* 26.
(3) *Vid. pag.* 27. 31.

di, aliae sunt leges *morales*, quibus homo; tamquam libertate praeditus, suis actionibus se conformare potest ac debet, licet easdem libero arbitrio abutens violare possit. Illae *stricte* loquendo *leges naturae*, istae vero *leges naturales* nuncupantur. Lato tamen sensu tam illae, quam istae *leges naturae*, aut *leges naturales* promiscue nuncupari queunt.

Not. 5. Profligatis jam Adversariis illis, qui naturae statum *exlegem*, seu absque ulla relatione morali commenti sunt: nunc refutandi remanent illi, qui somniarunt, quod homines in illo statu vixerint non solum extrasocietatem *civilem* ut vocant, sed etiam extra omnem societatem *simplicem*, sive nempe *conjugalem*, sive *paternalem*, sive *familiae*, et ideo extra omne imperium, seu in plena aequalitate, atque libertate perfecta; nec non illi, qui volunt hujusmodi statum naturae alicubi, seu penes aliquos homines aut populos modo etiam existere. Refutandi quoque sunt Scriptores illi, qui autumarunt aliquando, saltem alicubi, statum naturae extitisse, ac modo etiam extare, licet non sylvestrem, aut belluinum sed statum in quo communis *civilis* (ut vocant) potestas nondum instituta fuerit, aç sit, sed contra hos opportunius ubi de Statuum origine sermo erit.

PROPOSITIO I.

Praeconcepta *idea*, seu *hypothesis primigeni status naturae, juxta propositam quaestionem prorsus extrasocialis, tamquam monstruosum paradoxum spernenda* omnino est.

Prob. 1. Illa hypothesis tamquam monstruosum paradoxum spernenda est, quae adversatur et historiis saltem indirecte; et exemplo, seu naturae sociali brutorum; et naturali instinctui amoris, ejusque effectibus; et naturalibus facultatibus intellectualibus; et naturalibus legibus universalibus physicis, et moralibus; et dictis, seu auctoritati adversariorum sibimetipsis contradicentium; et tandem rationi; atqui etc. Ergo etc. Major per se patet. Probatur igitur minor per partes.

Adversariorum hypothesis opponitur 1. saltem indirecte historiis. Sane, ipsi asserentes naturae statum (sive extrasocialem sive antesocialem) *primitivum*, et *statum civilem subsequentem*, duo facta adstruunt. Ut igitur facta hujusmodi suadeant, historiae testimonio uti debuissent; nam natura ad omne genus rerum, suum, ac proprium probationum genus adsignavit; *evidentiam* si-

licet *intellectus* in rebus intellectualibus ; *evidentiam sensuum* in rebus sensibilibus ; et *evidentiam auctoritatis* in rebus credibilibus , ut certum est , per omnes philosophos, qui non nomine tantum , sed re tales fuere. Hinc jure nos ab adversariis quaerimus, ubi, in quanam mundi parte, et per quas gentes, aut status naturae viguit, aut subsequens status civilis ortum habuit? Si belluinus, ac sylvestris status naturae per plura soecula a mundi nativitate juxta Russojum, et per mille annos a diluvio universali juxta Vicum (1) perduravit; quomodo, quaerimus, tam longo temporis spatio homines vivere potuere, quin totum genus humanum destrueretur ; aut quomodo perfectibilitas (hoc est facultas in homine se perficiendi , quae per Russojum est maxime specificum hominis a brutis discrimen) atque educatio (qua per eumdem Rossojum totum id quo cum nascimur caremus , quod sane multum est, nobis donatur) adeo tarda , et iners fuit , ut hominibus tam sero datum fuerit eorum jura , individualem libertatem , atque privatam, aeque publicam tranquilitatem ope eorum *civilium* unionum

(1) *Vid. pag.* 28.

in tuto ponere? Haec *civilis* unio per totum Mundum locum habuit, ac unico temporis momento aut diversis temporibus, ac in diversis terrae partibus? Post hominum uniones statim ne, aut multo post privata eorum potestas delegata fuit sive uni, sive pluribus ex civibus, pro supremae potestatis institutione? Quisnam fuit primum caput *ministeriale*, sive servus seu mandatarius populi, civilisque Status? Hominum transitus a statu naturae ad statum societatis, equidem celebrior transitu Heritrei, transituque Imperii Romani ab Occidente ad Orientem fuisset. Nihilo tamen secius super his omnibus nullum monumentum, neque ullam responsionem tot percontationibus adversarii in medium proferre queunt. Quinnimo ubi in secunda harum Institutionum parte agemus de origine Statuum, seu Principatuum, videbimus, omnium temporum, omniumque populorum historias hypotesi de qua hic, directe, quoque adversari.

Secundo adversatur naturae sociali ipsarummet belluarum, quarum conditionem hodie non pauci invident. Quis, profecto, uniones, ac sociales relationes in brutis, licet ratione, ac intellectu carentibus inficiari auderet? Animalia omnia determinatis anni temporibus naturali instinctu sese invicem

perquirunt, turbas, greges, et agmina quodammodo constituunt. Aves, de facto, per aeris regiones in unum coalescunt, turmatim circumvolitant, simulque viam aperiunt, iter agunt, ac peregre proficiscuntur: pisces in sinu maris copulantur, et ad ejus littus certis tempestatibus sociatim exhilarantur: formicae aestivo tempore appropinquante conjunctim a cava quercu paullatim egrediuntur, et ordinatim per vias, saepes, agrosque pacifice sibi obviam eunt, donec ad commune habitaculum redeant. Quisnam satis admirari posset apes, quae fere quolibet anni tempore indivisibiles, dulci in alvearibus societate fruuntur, ac raro ab eis exeuntes, sub duce circumvolitant fideliter? Si ergo belluae ex dispositione naturae non solitariae, non segreges, non dispersae, non absque ulla sociali relatione unquam inventae fuerunt, quomodo tales esse homines potuissent? Homines, inquimus, qui dumtaxat societatis causam, principia, utilitatem ac necessitatem, qui dumtaxat cogitationes suas, indigentias proprias, aliorumque dignoscere, qui dumtaxat dietim propria potentia se perficere, qui dumtaxat societatis onera, ac officia cognoscere atque adimplere valent? Apage nugas.

Tertio adversatur instinctui, seu naturali affectui, aut ingenitae propensioni amoris hominum ad invicem; cujus fons, et origo est *similitudo*, et *cognatio* eadem inter eos. Genus enim humanum ab uno homine, seu stipite, a communi progenitore, seu ut verius loquamur, a nuptiis primarum duarum rationabilium Creaturarum (1), sumpsit exordium. Hinc in Ecclesiaste habemus - *Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi* - (2) Si quis ex adversariis divinum oraculum deneget, audiat Tullium ubi docuit, quod - *natura propensi sumus ad diligendos homines* - 3 Audiat Angelicum Doctorem,

(1) *Videri potest egregius sermo, cui titutus est - L' unità della Specie umana - relatus in Pragmalogia Catholica fasc. Mensis Decembris 1831. Cl. Cajet. Balluffi tunc Vic. Generalis Anconae, modo vero Episcopi Balneoregii, ubi egregie refellit praetensos illos philosophos, qui eorum phantasia humani generis stipites multiplicarunt eisque alios Patres, praeter Adamum et Evam adsignarunt.*

(2) *Cap.* 13. *vers.* 29.

(3) *Lib.* 1. *de Leg.*

ubi ait - *ex hoc quod aliqui duo sunt similes. quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma illa, sicut duo homines sunt duo in specie humanitatis, et duo albi in albedine: et ideo affectus unius tendit ad alterum sicut unum sibi, et vult ei bonum sicut et sibi* (1) Audiat Augustinum ubi rationem reddens, quare homines in mutuum amorem ex parentum exemplo, et originis unitate, et cognatione sanguinis compellantur egregie ait - *Ut eo modo vehementius homini commendaretur societatis unitas, vinculum concordiae, si non tam inter se naturae similitudine, verum et cognationis affectu homines necterentur.* (2) Jam vero hujusmodi amoris instinctus, seu propensio, seu hic affectus hominum ad invicem equidem non est vis *centrifuga*, ut in adversariorum ipothesi necessarium admittendum foret, sed potius *centripeta*.

Caeterum ex amoris instinctu, ex quo plures alii affectus, quos quilibet homo intime experitur, profluunt, ut amicitiae dulcedo, commiseratio, beneficentia, gratitudo, aliae-

(1) 1. 2. 9. 27. *art.* 3.
(2) *Lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 21.

que dispositiones, inclinationes, propensiones, ac sensus, qui totidem sunt quodammodo semina, tot fontes uberes, tot virtutum socialium principia, quae, sublata societate, otiosa penitus, atque inculta mansissent, idque contra illud vulgatissimum adagium, quod natura (etiam per adversarios) nil frustra operatur. Argumentum hoc disertissime more suo exagitat Valsecchi dum Russojum insequitur verbis illis – *Qui igitur per Superos immortales, solos, palantes, segreges, absque civitate, domo, connubiis, aris priscorum saeculorum homines confingis tibi, atque hunc naturalem esse hominis statum comminisceris, cum ipsa hominis natura, sicuti Religioni, ita et societati, eum natum esse demonstrat? Evolve, quaeso te humani cordis affectus, nonne miserationem, nonne pietatem, nonne amorem, nonne charitatem vel duro in pectore cernis? aut in quos miserationem? nonne in indigos? in quos pietatem? an non in parentes? in quos amorem? an non in conjugem, liberosque? in quos charitatem? an non in Patriam, et cives suavissimo quodam naturae impetu dirigis, et effundis? Et adhuc hominem non ad societatem cum suis ineun-*

dam, sed ad antra incolenda, et ad sylvas a natura efformatum esse contendes? (1)

Quarto adversatur egregiis facultatibus copulandae societatis pariter aptissimis, quibus homo ab Auctore suo donatus fuit, atque exornatus; ut scientiarum ingenium longe capax, eximia ad artes dexteritas, facultas, varios animi sensus voce articulata, vultu, gestu, aliisque externis signis in particulari exprimendi, ad differentiam caeterorum animalium, quae in communi tantum passiones suas exprimere quaeunt. Argumentum prosequens laudatus Valsecchi, ait - *Quid porro dicam de humanae mentis vi ad investigandum acutissima? de humanae vocis praestantia ad cogitata efferenda expeditissima? de humanae eloquentiae potestate ad ciendos animi motus, voluntatesque impellendas, quo velis: unde autem velis deducendas aptissima? Num haec largitus homini Creator est, ut in concionem congereret saxa, et quercus, ut cum lupis, et*

---

(1) *In Acroasi (Dissertatione) de primaeva hominis conditione adversus Russojum, habita in Gymnasio Patavino* 3. *nonas Novembris anno* 1762.

pardis misceret eloquia, ut specus, et nemora cogitationibus, inventisque suis locupletare posset, et efformare? Quid ais quo te vertis? (1)

Objic. cum Russojo, usum sermonis non esse homini naturalem, ideoque homines in statu naturali nullum habuisse sermonis usum, proindeque nullas ideas universales, quae nonnisi verborum ope acquiri possunt, nec aliter percipi, quam per propositiones vocibus, ac terminis expressas.

Respondit Piccadorius, quod „ quamvis homini naturale non sit hoc, vel illo idiomate uti, ipsi procul dubio naturalis est usus sermonis generatim accepti. Deinde, prosequitur ipse, falsum est sine usu sermonis nullas acquiri posse ideas universales, nam voces sunt signa idearum, ideoque voces ab ideis, non istae ab illis pendent. Hinc surdi, et muti a nativitate multa cognoscunt, et addiscunt, quae sine ratiocinio, proindeque sine ideis universalibus cognosci, et addisci non possunt. Atque hic notandus error Christiani Thomasii docentis, *surdum a nativitate nullatenus posse cogitare, quia cogita-*

---

(1) *Loc. cit.*

se non aliud est, *quam sibimetipsi loqui* (1). Imperitus nescivit distinguere inter internam, et externam locutionem, inter verbum oris, et verbum mentis. „ Huic responsioni brevissime juxta nostram theoriam addi posset, neque verum statum *naturae*, neque naturalem hominis sermonem umquam cessasse, sed semper extitisse. Retenta perpetui veri status naturae existentia, supervacaneum ducimus quasdam alias Russoii difficultates ab eodem Piccadorio allatas pro eorum solutione proponere, cum supponant transitum hominum a philosophico statu naturae extrasociali, ad statum socialem *civilem*, cumque ea transitio inter somnia numeranda veniat.

Quinto adversatur naturalibus legibus universalibus, tam *physicis*, quam *moralibus*. Inter leges physicas, seu necessarias primum fere locum, ad rem nostram, obtinet *inaequalitas virium*; virium nempe tam physicarum, quam intellectualium, non quidem ex hominum inventis, ut nonnulli dementes Philosophi putarunt, sed ex facto, ac instituto naturae. Inaequalitas haec talis est, ut inter tot homines vix duo inveniri possent,

(1) *Introd. iu Leg. cap.* 3. §. 24.

qui aetate, robore, ingenio, scientia, valore, seu animo, fortunaque inter se pares sint; ac ridiculum prorsus esset eam inaequalitatem humanis institutis tolli posse, ut somniavit Rossojus, idque aegre admodum ferrent Sapientiores hujus saeculi, sic dicti nimirum *Illuminati*, qui se tamquam mundi luminaria, ac generis humani Prophetas praedicantes, jus sibi usurparunt super omnes hominum mentes, ita ut illorum doctrinis cervicem caeco ductu flectere teneantur. Eamdem inaequalitatem semper inter homines extitisse procul dubio tenendum est, ac unam ex tot suis fabulis praebuit Russojus ubi docuit, quod „ ob agrestem, durioremque in nemoribus, et specubus absque domibus, ac tectis vivendi rationem magnum comparati robur, et assidua cum bestiis inita pugna, ut se defenderent, feroces, truculentique effecti, vix ullis obnoxii erant morbis, eamdemque roboris constitutionem in filios trasfundebant (1). „ Forsan ne priscis temporibus in facto non habebatur, quod inermis homo nasceretur, inermis viveret, a belluis celeri-

(1) *De orig. et fundam. inaequalit. int. hom.*

tate, ac viribus superaretur, per plures infantiae, ac pueritiae annos rectoribus egeret? Quod in ipsa juventute, virilitate pluribus animi, corporisque morbis obnoxius nequaquam esset, quosque, ut plurimum sine aliorum subsidio superare posset? Quod senio tandem confectus, eamdem, ac in infantia virium imbeccillitatem, eamdemque directionis necessitatem, neutiquam experiretur? Nonne haec omnia efficere debebant, ut homo, natura ipsa monente, seu verius cogente, aliorum hominum societatem avidissime quaerere debebat? Cum haec omnia incredibilia prorsus sint, nec mente concipi queant, dicendum est, quod sicut per Russojum nunc temporis, *nos nascimur debiles, quare indigemus viribus: nascimur omni re destituti, unde indigemus assistentia: nascimur stupidi, unde indigemus prudentia: et totum id quo cum nascimur caremus, et quo opus habemus, quod sane multum est, nobis educatione donatur* (1) idem fuisse de homine in prima mundi aetate necessario dicendum est; natura enim essentialiter semper eadem est, nec mutationi obnoxia. Porro lege inaequalitatis virium, de quibus agitur, semel statuta,

---

(1) *Loc. cit.*

nemo est qui non videat, per multas exinde mediorum disparitatem, et quamplurimas idcirco indigentias mutuas, mutuasque necessitates inter homines semper extitisse; idque adeo, ut hi solitarii, segreges, palantes, seu extrasociali naturae statu admisso, nequidem propriam existentiam ob mediorum scilicet defectum conservare potuissent. Hinc opportune, aeque ac utiliter animadvertendum, disparitatem virium, ac mediorum utique totius socialis aedificii fundamentum quodammodo, ac petram angularem, cui caeterae leges referuntur, efformare, ac constituere.

Non minus adversarios urget naturalis illa lex moralis, quae inter alias morales leges amoris, seu benevolentiae dulci nomine nuncupatur, quamque omnes sanae mentis Juristae defendunt. Ea etenim lege omnes homines ad invicem naturaliter devinciuntur, atque obstringuntur, ejusque virtute mutuo, juxta mediorum copiam in aliquibus, et mediorum defectum in aliis vicissim se opitulari, subsidium, auxiliumque praebere tenentur; unde et hac de ratione quoque adversariorum hypothesis monstruosa dignoscitur, atque evincitur.

Sexto adversatur auctoritati ipsorummet adversariorum sibimetipsis contradicentium Et re quidem, Hobbesius naturalem hominum

statum barbare definivit - *statum belli omnium in omnes* (1); et tamen alibi fatetur, homines a natura destinatos esse ad aliquam inter se societatem habendam dum ait „ Verum quidem est, homini per naturam, sive quatenus est homo, idest statim ac natus est, solitudinem perpetuam molestam esse. Nam infantes ad vivendum, adulti ad bene vivendum aliorum ope indigent. Itaque hominem alterum alterius congressum natura cogente appetere, non nego (2). „ Puffendorfius primi legis naturalis principii *socialitatem* admisit, item statum domesticum ex instituto naturae, viro, uxore, et filiis efformatum, ac denique vitam solitariam tamquam legi naturae repugnantem, nisi ob societatis commodum suscipiatur; (3) et tamen horum omnium oblitus, hominem extrasocialem omnino finxit, atque ostendit (4). Russojus, illae societatis hostis infensissimus, bellum in societatem gerens, dixit - *negandum non esse, homi-*

---

(1) *Lib. de Civ. cap.* 1.
(2) *Op. cui tit. Leviathan.*
(3) *De Orig. Jur. Cap.* 6. §. 25.
(4) *Lib.* 2. *Jur. Nat. ac Gent. cap.* 2. §. 2.

nes etiam ante diluvium repertos unquam fuisse in puro statu naturae, nisi forte in eum inciderent ob extraordinarium aliquem eventum, paradoxum ad defendendum incommodum, ad probandum impossibile (1). In alio lucido mentis suae intervallo asseruit - *L' uomo è sociabile di sua natura, o almeno è fatto per divenirlo* (2) Voltaire citatum Russoji libellum, nuncupat - *Codicem contra genus humanum* - subditque, *numquam tantum ingenium adhibitum fuisse ad volendum nos reddere bestias;* et tamen idem Voltaire, juxta morem hominum impiorum, sibi contradicens docuit - *Genus humanum diu permansisse in brutorum statu* - (3)

Septimo tandem adversatur rationi, seu argumento, ratione scilicet speciatim deprompto ex parentum amore erga liberos. Natura pro-

---

(1) *De Origin. et fund. inaequal. inter homin. Vid. quoq. Finet. Tom.* 12. *Lib.* 8. *Cap.* 3. *et Lib.* 12. *cap.* 6. *contra Vicum et Dunium.*

(2) *Emil. Tom.* 3. *Amsterdam* 1766 *pag.* 84.

(3) *Historia Philosophica cap.* 3.

cul dubio, parentibus invincibilem, atque incredibilem quodammodo amorem erga liberos implantavit. Hujus intimi ac congeniti amoris tanta est virtus, ut nullo pacto ipsis sinat liberos aut in cuni, aut in infantia, aut, etiam ea expleta, in infirmitate sibi ipsis relinquere, vel periculis obnoxios; quinnimo efficit, ut eos omni sollicitudine alant, a discriminibus amoveant, domi sibi conjunctos habeant, eos educatione colant, eorum vitam servent, atque ab injuriis protegant, quin dicamus eosdem parentes non absque eorum animi amaritudine segregationem filiorum, cujuscumque aetatis sint, sustinere posse. *Etiam in bestiis*, hic cum Romano Oratore non incongrue dicemus, *etiam in bestiis vis naturae inspici potest, quarum in foetu, et educationis laborem cum cernamus, naturae ipsius vocem audire videmur* (1). Aliunde et liberi quoque vehementi amore erga parentes feruntur, ab eis, discretionis aetate adveniente, advertenter ac necessario, ob eorum nempe vel alimentorum, vel istructionis, vel perfectionis indigentium dependet, eisque aut lubenter, aut

(1) *lib.* 3. *de fin.*

necessario, seu cogente natura subjiciuntur, donec saltem aliter sibimetipsis sufficere valeant. Hinc itaque dominium seu imperium, seu potentia ex una parte; et subjectio seu servitus ex altera habetur; et hinc vera societas inter parentes, eorumque filios. Qua fronte igitur, seu verius loquendo, quanam insania nonnulli sophistae hypothesim status naturae absque ulla sociali relatione, etiam absque domestica vel paternali societate, et originem dependentiae filiorum etiam in infantia ab hominum inventis ac institutis repetere audent? Forsan ne non semper idem fuit naturalis amor inter Parentes et filios, non semper eadem horum conditio? Quomodo naturae status cum *perfecta* libertate, seu independentia, et aequalitate *universali* in hominibus somniarunt?

Scholion. Argumenta omnia contra praetensum statum naturae prorsus extrasocialem a nobis deducta, a fortiori, ut satis patet, militant contra statum belli perpetui, ac belli omnium in omnes ab Hobbesio non minus turpe, quam impie excogitatum. (1)

---

(1) *Contra hujus auctoris systhema videri potest Finetti Tom.* 2. *lib.* 5. *Cap.* 3. *et Scwharz. Puff.* 1. *tit.* 2. *de leg. nat. et gent.*

PROPOSITIO II.

Status naturae absque ulla relatione sociali, neque nunc temporis existit, aut existere potest,

Prob. Ille status nullibi existit, vel existere potest, qui opponeretur etiam naturae sociali brutorum, naturali instinctui amoris hominum ad invicem, naturalibus facultatibus intellectualibus, naturalibus legibus universalibus tam physicis quam moralibus, auctoritati ipsorummet adversariorum, ac tandem naturae amoris parentum in filios, et filiorum in parentes; atqui ex probatis ita esset; ergo etc.

Prob. 2. Judicio primarii ac infensissimi hostis societatis, Russoj nempe: inquit enim ipse - *Che lo stato di natura più non esiste, non ha forse esistito, e probabilmente non esisterà giammai* (1).

Prob. 3. Auctoritate quoque Raynal, qui licet probare intenderit tamquam verum ac

---

(1) *Prefaz. del Discorso sull' origine della ineguaglianza fra gli uomini.*

reale naturae statum, attamen in sua historia philosophica ac politica admittit, prout refert ac testatur clarissimus Cardinalis Gerdil „ che gl' Irocchesi, i Caraibi, i Selvaggi della California, ed altri dell' America settentrionale, i Patagoni all' ultima estremità dell' America meridionale, e quant' altri possono indicarsi, vivono anch' essi uniti in società, comunque imperfetta; e che anzi le loro cinque nazioni formavano una specie di lega simile a quella degli Svizzeri e dell' Olanda. (1) „

Prob. 4. Ex relationibus viatorum. Ex his enim constat Urrones, Auttentotos, Laponios, aliosque a Russojo ejusque asseclis citari solitos, aliquam inter se habere societatem et aliquem sermonis usum. Falsum igitur plures etiam num homines in Africa, America etc. sylvestrem et belluinam vitam ducere, quae proinde omnibus olim hominibus communis censeri debeat. Exempla autem unius vel alterius hominis inter feras enutriti et nescii loqui, non sunt ad rem, illatio enim a particulari ad generalem non

(1) *Gerd. Osservaz. sulla Storia del Raynal. Tom. 6.*

valet, sicut ab aliquibus hominibus abortivis, omnes a natura tales esse non recte inferri valeret. Fusius autem de hac re, ubi de Statuum seu Principatuum origine sermo erit.

QUAESTIO IV.

An individua, aut singularis proprietas, et dominium agrorum sit juris naturalis ita, ut rejicienda sit hypothesis primaevae communionis bonorum.

Not. 1. Nomine proprietatis per omnes Juristas venit „ *possessio ac detentio alicujus rei exterioris, seu corporalis, cum usu exclusivo aliorum quorumcumque*: seu *occupatio objectorum exteriorum ad conservationem, atque commoditatem propriam, cum usu exclusivo aliorum.* Hinc proprietatem aliquam adipisci idem est, ac sibi unire, seu adjungere rem exteriorem, eamque possidere ita, ut ea exclusive uti atque gaudere possit, unde *proprietas* dicitur.

Not. 2. Proprietas igitur secum fert dominium, quod in genere, atque communiter definitur „ *facultas utendi rebus in proprium commodum ex beneplacito.* Vel ut ait Heineccius „ *jus rem corporalem sibi ita*

habendi, ut *ea soli utamur*, *nec quisquam ea sine consensu nostro utatur* (1); et ut se exprimit Zallinger „ *jus in re extendens se ad omnem usum rei quatenus in dominio est* „ (2) Jus, omnes inquiunt, et quidem recte, jus apprehendendi, asservandi, atque adhibendi, ac dominio subjiciendi res a Deo hominibus per creationem in medio positas, pro eorum necessitate non solum, verum etiam commoditate, nec non honesta jucunditate vitae.

Not. 3. Plures tam antiqui, quam moderni ex Juristis, praeventi, ac praeoccupati idea *primaevae Communitatis*, admiserunt *primigeniam communionem* omnium rerum, earumque usum, ita ut proprietas, atque dominium tractu temporis ex hominum instituto, arbitrariis conventionibus, legibusque originem duxerit; seu statum primigenium finxerunt ante occupationem dominio contrarium; (3) ita ut antequam res ab ullo occuparentur, essent nullius, sed omnibus tamen aequale jus insolidum esset illa occu-

(1) *De offic. lib.* 1. *C.* 12. §. 3.
(2) *Lib.* 1. §. 3.
(3) *Vid. pag.* 37.

pandi. Ut rem suadeant dupliciter fieri occupationem, ac duplicem communionis speciem effingunt. Occupatio., ajunt post Grotium, fit vel per *universitatem*, quando nempe tota hominum multitudo rem occupat, eamque inter se dividit; vel per *fundos*, hoc est per *singulos*, quando singuli homines singula sibi occupant. Communio dividitur, pariter juxta eos, in *negativam*, et *positivam*. Communionem negativam vocant statum illum, quo res omnes quoad proprietatem est *nullius*, quoad jus vero occupandi, omnibus patet. Communionem autem positivam appellant statum, quo multi simul rem communi nomine occupant, ut sit saltem multitudinis occupantis, et alii ab ejus usu excludantur. Hujusmodi ideis innixi tenent homines ab initio fuisse in statu communionis negativae, et inde multiplicato primum genere humano, necesse fuisse integras familias, et inde natas gentes totas provincias communi nomine occupasse, easque communes habuisse; unde nata communio positiva. Rebus sic, ait Heinecius, in communione positiva existentibus, commode uti non potuere gentes integrae, ut illae omnibus sufficerint, itaque non potuerunt non inter se convenire, cuilibet de illa multitudine jus futurum esse, quaedam sibi, quibus opus,

esset, occupandi, ac proinde singuli sibi occuparunt partem agri, arbores, aliaque necessaria ad sustentationem familiae. Eo facto statim natum est dominium; quaecumque enim ex communibus rebus consensu alterius occupo, ea fiunt occupantis, adeoque esse in dominio incipiunt. . . . . Totus ergo ordo, quo introductum dominium, hic est: omnia fuere in communione negativa; multiplicatis hominibus, singulae familiae, et natae inde gentes occuparunt totos terrae tractus, et ibi constituerunt communionem *positivam*; singuli de ista gente, consentientibus reliquis, occuparunt res singulas sibi necessarias, et sic natum est dominium - (1). Similia habet Piccadorius (2), Norcia (3), et Zallinger. Hic posteaquam monuit, quod spectato primigenio statu hominis, ac secluso adventitio rerum, communio negativa *cogitari* debet, quae rationem sufficientem in natura, ac finibus hominis, rerumque habet, eam communionem primaevam *negativam* (per *positivam* sublatam) definit - jus connatum apprehendendi res

(1) *Lib.* 1. *Cap* 12. §. 2.
(2) §. 268.
(3) §. 104 *et* 105.

nullius, vi libertatis naturalis singulis in solidum competens (1).

Not. 4. Hinc quaestio jam proposita, huic respondit, utrum fundorum proprietas individualis, seu singularis sit originis, seu institutionis naturalis; vel potius institutionis humanae, introducta nempe a factitia, seu positiva conventione, atque arbitraria hominum lege, ut adversarii aeque circa originem societatis, ae precipue Statuum, contendunt.

Not. 5. Quaestio haec non parvi momenti est; etenim ex hypothesi superius allatae primitivae, seu primigeniae communionis bonorum, recentiores Sophistae audacter aeque ac turpiter collegerunt, quod Principes nihil proprium possideant; quod omnia eorum bona, omnesque eorum reditus a populo proficiscantur, ita ut essentialiter nihil aliud sint, quam *proprietas* nationis, quam *directa* vel *indirecta* tributa membrorum status adsignata pro servitio nationalium negotiorum, communibusque necessitatibus, neutiquam vero pro particularibus Principum expensis; quod ea omnia, quae a Principibus possidentur, tamquam depositum pos-

---

(1) *Tom.* 1. §. 109, 104.

sideantur ; quodque idcirco bona signanter Principum, a quibus supremae potestatis exercitium dependet, ab eis restituenda esse, quocumque titulo possideantur. Syllogismum systematis praetensi juris - publici refert, ac ridet de Haller hisce verbis - Tutto quello, che si possiede è un deposito ; ora si possiede anche quel, che si è d' altri acquistato da se stesso, per compra, o vendita, per eredità, dunque tutte queste cose sono tanti depositi, e tutti i proprietarii del mondo sono obbligati a restituire. Che ci venga vantata un simile logica se mai si può ! (1) -

Not. 6. Eo vel magis magni momenti quaestio de qua agitur censenda est, quia etiam nunc proprietatis individualis hostes, ac praetensae primitivae communionis bonorum amatores reperiuntur, qui plorant idcirco, - Magnam familiam, unum Imperium, magnum naturae ligamen solutum fuisse - Furens Russojus inter suas innumerabiles contradictiones pronunciavit, quod - deve considerarsi come delinquente contro l' uman genere, e ribelle alla natura il primo che

---

(1) *Vid. de Haller Tom. 1. Cap. II, et Tom. 2. Cap. 4. pag. 97.*

chiuse il suo terreno, e pretese dire: questo appartiene a me: e che fù il fondatore della società civile (1). - Non più proprietà individuale, (predicarunt, ac publicarunt sectarii in prima Gallica rebellione) la terra non è di alcuno: noi riclamiamo, noi vogliamo il godimento comunale dei beni della terra; scomparite le ributtanii distinzioni dei ricchi. - Hinc non pauci sive auspicantur primigeniam *communionem bonorum*, *proprietatem publicam* seu *nationalem*, ac saltem bonorum distributionem familiis, debita proportione, quantum fieri possit servata, sibi auspicantur. Et utinam ex praeconcepta idea primitivae communionis bonorum, tot furta, tot questiones, ac spolia hisce temporibus nequaquam repetenda forent?

Not. 7. Nos bonorum communionem *in* rebus publicis (vere talibus) admittemus, ut necessario admittenda est, non tamen in sensu bonorum communionis superius expositaae; sed in sensu, quod nonnulli homines pro reipublicae fundatione bona jam ab ipsis possessa cumulaverint, vel post fundationem adepti fuerint, atque auxerint. Hisce

(1) *Discor. sull' Orig. dell' Ineg.*

omnibus haud frustra notatis, contra illos errores omnes sit sequens

PROPOSITIO

Datur, atque admitti debet individua agrorum proprietas de jure naturae, *bonorum communionis, sive* negativae, sive positivae *hypothesi omnino rejecta.*

Prob. Tunc datur, atque admitti debet individua fundorum proprietas, ac dominium *de jure natnrae*, (hypothesi primigeniae communionis, sive *negativae*, sive *positivae* rejectae); quotiescumque ejus origo minime ba hominum institutione descenderit; eadem enim origo vel a natura, vel ab hominum institutis tantum repeti posset; quotiescumque Adversariorum Juristarum contradictiones, inter se, et eorum cum semetipsis illam arguant; quotiescumque celebriores Jurisprudentium auctoritas illam docuerint; quotiescumque illa probetur ex proprietatis necessitate, universalitate, et perpetuitate; quotiescumque naturalis proprietatis origo conformis sit Divinae legi justitiae; et quotiescumque universalis experientia tam praeterita, quam praesens eamdem evincat. Atqui etc.

ergo etc. Major nulla, ut perspicuum est, probatione indiget. Itaque probatur minor per partes.

Primo individualis fundorum proprietatis origo humanis institutis nequaquam tribui potest. Et sane, quanam in terrae regione, hic quoque ab adversariis quaerimus, quanam in mundi aetate, vel per quos proprietas illa invecta fuit, aut initium habuit? Quamdiu ficta primitiva bonorum communio *negativa* perduravit? Inter quos, et in quibus temporibus communio *positiva* coaluit? Usquedum communis possessio per *universitatem*, aut per *fundos*, hoc est per *singulos*, ut adversarii loquuntur, ac possessiones, provinciae, ac territoria certis finibus discreta, ac circumscripta fuere? Etiam hic adversarii silent omnino, nullumque responsum dare queunt. Origo igitur proprietatis ac dominii de quo agitur, a jure naturae repetenda est; nonnisi enim, iterum dicimus, illa vel ab eodem jure, vel ab hominum conventionibus repeti posset.

Secundo originem naturalem individualis proprietatis ac dominii agrorum, contradictiones inter adversarios Juristas, ac eorum cum semetipsis arguunt. Schwarz, de facto, cum aliis putavit proprietatis originem, seu a bonorum occupatione, seu ab eorum divi-

sione dubitanter tantum repetiit, ac insuper fassus est, quod bonorum appropriationis et divisionis *Auctor, modus, et tempus* conjecturis dumtaxat, seu ad summum innitatur. Addidit quoque originem *remotam* proprietatis et dominii improprie, seu permissive haberi a natura; *proximam* vero per occupationem, vel etiam divisionem *jure gentium firmatam* (1). E contra Zallinger, post alios, rejecto quoad hoc jure gentium, docuit, originem proprietatis et dominii *remote* a jure naturae concessivo, seu permissivo oriri, *proxime* ab hominum facto, quo res in medio positas apprehenderunt animo eas habendi, sibi, sive ut suas ac proprias (2): Pufendorfius sensit primaevam communionem negativam sublatam fuisse (inventis pro illa dominiis) accedente pacto et tacito consensu, seu conventione hominum eorum, quos in communione negativa mansisse effinxit; ra-

---

(1) *Hoc dominium fundatur in quadam rerum seu appropriatione, seu divisione, quam factam esse negari nequit*, etsi Auctor, modus, et tempus majorem auguriis fidem non videatur expetere. *Part II. Tit. II.*

(2) §. 11. *Num.* 6.

tio per ipsum est, *quod si unus rem apprehendit animo eamdem sibi, atque uti propriam tenendi, alias, non consensisset, neque res illa prohiberi, neque usu excludi potuisset*, (1) Sed Zallinger respondit - *totum id commentitium est; nam illa communio negativa erat, et pertinebat ad res nullius. Nemo ergo alius abdicare jus quoddam debuit: nemo injuriam patiebatur; cum omnes aequali jure gauderent, res in medio positas apprehendendi, ac dominio subjiciendi, nisi forte pro quavis apprehensione, asservatione, vel quovis usu rei pactum quoddam et tacitam hominum conventionem fingas. Casui necessitatis singularibus juribus providit natura, neque si quis nunc occupare gestit rem vacuam et in medio positam, de hominum consensu, pacto, aut conventione cogitat* (2). Alias contradictiones inter adversarios omittentes, cum Spedalierio (equidem adversariis circa societatis originem, naturam, et finem non adverso) dicere nobis fas erit, quod - *la bizzarria*

---

(1) *Lib.* 4. *Cap.* 4. §. 5.

(2) §. 110. *Num.* 4. *Concordat Norcia* §. 106.

di questo pensiero (della communione primogenia dei beni) *è buona a far brillare la poesia* (1).

Quoad contradictiones Adversariorum cum semetipsis, non immerito animadvertimus.

1. Per ipsos nunc temporis quoque existere, prout reapse existunt res *nullius*, quales communiter censentur, quae vel natura non sunt in dominio, vel pro derelictis habita, in dominio esse desierunt, idest eo animo abjecta a domino, ut ea in numero rerum suarum amplius esse noluerint; et tamen retenta praetensa hypothesi communionis negativae, haec nonnisi occupatione *per universitatem*, a tota nempe multitudine volita, tolli debuisset, aut potuisset.

2. In supposito primigenio statu communionis negativae, jus utendi rebus a Deo pro necessitate, et commoditate hominum creatis, jus *aequale et connatum* in singulis hominibus adversarii adstruunt; et tamen idem jus *aequale* et *connatum*, idest naturale, *in solidum*, et ut ita dicamus *collective*, iisdem hominibus competere autumant, ac vi status illius primigenii, jus acqui-

(1) *Diritti dell' Uomo lib.* 1. *Cap.* 3. §. 20.

rendi *connatum* quidem est per ipsos, sed non ipsa rerum acquisitio, vel dominium, hoc enim in numero jurium *adventitiorum* recensent (1). Haec autem duo quomodo simul conciliari queant, haud facile videtur.

3. Adversarii asserunt, communionem negativam solutam fuisse, dominiis introductis, eo quia aucto hominum numero, ea quae sponte, et communi opere, ac labore nascebantur, neutiquam sufficiebant omnibus ad victum, vestitum, habitationem, aliasque necessitates, ita ut majori industria, labore, atque cultura, et commercio opus esset, eo vel magis, ajunt, quia multi otio se dedissent, alii vero prae aliis vivere delicate voluissent, unde pax, justitia, et tranquillitas exulasset: (2) ast dictae societatis solutio, quantumlibet ob dictas causas necessaria, illorum hominum conditionem deteriorem reddidisset; nec hujusmodi divisionis finis obtentus fuisset; neque concipi potest, quomodo illi patres familias, omnesque homines alii, apti fuissent ad laborem, ad commercia, neque

---

(1) *Zallinger* §. 113. *Norc.* §. 106. 107. 108. *et seq.*

(2) *Zallinger* §. 101.

quomodo otium, aut delicatam vitam odio habere exinde debuissent, aut voluissent.

4. Adversarii admittunt originem individualis proprietatis, et dominiorum esse saltem de jure naturae permissivo, et idcirco de jure naturae saltem *remote*, *proxime* vero ex facto hominum oriri; ast inde sequeretur, proprietatem esse *juris naturae*, et *juris humani* simul, quod repugnat (1).

5 Ipsi admittunt quoddam *jus residuum* (ut ipsi vocant) *ex primaeva communione*, quale jus per ipsos est illud, quod competit hominibus super res existentes in alterius dominio, et cujus species duas assignant, jus nempe *necessitatis extremae*, et *jus innoxiae utilitatis* (2). Sed quisnam concipere posset hujusmodi residuum jus naturale, seu verius *naturalis juris frustulum*, post secutam communionem positivam? Videant adversarii.

Tertio naturalem originem proprietatis, aut dominii, Philosophi omnes, ac Jurisconsulti sublimiores, quorum idcirco auctoritas maximi momenti habenda est, omnium saeculo-

---

(1) *Vid. Heinnec. Lib.* 1. *Cap.* 3. §. 3. *et* 9.

(2) *Zallinger* §. 117.

rum, absque ambagibus, et absque contradictionibus explicarunt ope primae occupationis, et per legem naturae, neutiquam vero per arbitrarias hominum conventiones. Procul dubio Jurisconsulti Romani tamquam veritatem, ac principium observabant - *quod dominium rerum ex naturali possessione originem caepit* - quin ullum verbum, aut praetensae communionis, aut praetensae necessitatis consensus aliorum, addiderint. Justinianus absolute firmavit - *quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur* - (1) Idem sentiunt celeberrimi Juristae Hertius, Barbeyrac in eorum commentariis ad Puffendorfium (2). Videri potest etiam Scriptor nullo modo suspectus, Loke (3), Cumberland (4), Coccejus in suo opere - *Grotius illustratus* (5) Achenwal, et Putter (6), qui perfecte hanc materiam tra-

---

(1) *Instit. de Rer. Div.* §. 12.

(2) *Lib.* 3. *Cap.* 5. §. 3. *et Lib*; 4. *Cap.* 4. §. 4.

(3) *Del Gov. Civ. Cap.* 4.

(4) *De Leg. Nat.*

(5) *Lib. II. Cap.* 2. §. 2.

(6) *Jus Nat.*

ctarunt; nec non multi alii Jurisprudentes, quos brevitatis causa recensere praetermittimus,

Nihili autem facienda esset oppositio, quod nonnulli moderni, sic dicti Philosophi, naturalem proprietatis originem negaverint, ac negent. Facile enim responderi posset, quod hujusmodi Sophistae proprietatis originem naturalem inficiantur ideo, quia et ipsam legem naturalem Divinam ablegare conantur; eorum enim arrogantia eo devenit, prout satis manifestum est, ut Deum conditorem, latoremque legis orbis terrarum jam non amplius agnoscentes, hominum adinventis omnia tribuere, omnia a factitiis conventionibus, atque a chimerica generali populi voluntate repetenda esse somniarunt.

Objic. Grotius, et post eum Puffendorfius, ac Bohemerius hypothesim primigeniae communionis, de qua hucusque, admiserunt.

Resp. Grotius non quidem asseveranter hypothesim illam admisit, sed ancipiti admodum animo. Praeterquam quod Grotius, et post eum iidem Puffendorfius, et Bohemerius in hujusmodi hypothesis fundamentalem errorem lapsi sunt ob praeconceptam ideam *originariae communitatis*; sicut ob eamdem falsam ideam societatis, vel saltem Statuum originem ab hominum instituto, a famoso

nempe *contractu sociali* profectam esse censuerunt, prout latius opportuniori loco ostendemus (1).

Quarto naturalis origo proprietatis *ex ejus* notis, *necessitate, universitate*, et *perpetuitate* invicte probatur. Neeessaria est procul dubio; nam jura omnia acquisita (quae per adversarios etiam *statum hominum externum* constituunt (2) nihil aliud sunt quam fructus jurium *innatorum*, et nonnisi conditiones ad eadem jura exercenda omnino necessariae; neque jura ab homine acquisita rejici possunt, quin et sua jura naturalia destruantur. Et sane sublata proprietate, hoc est possessione, atque usu *exclusivo* rerum externarum, inde sequeretur, quod amplius valeret homo suam servare existentiam, eoque minus suas sive physicas sive intellectuales exercere vires ad propriam, proximique utilitatem. Alimonia qua nutritur, vestis qua induitur, locus sibi ad quietem, moramque paratus, itemque instrumenta laboris sui,

---

(1) *Vid. De Hall. Tom.* 3. *Cap* 25. *et Tom.* 1. *Cap.* 7.

(2) *Zallinger* §. 109. *Norc.* §. 1.

coeteraque hujusmodi modi vel necessario, atque absolute debent ad plus minusve diutinum tempus ejus constituere proprietatem; vel opus est, ut alius, qui eam possidebat, commodet, ut ipsi tantummodo, seu exclusive inserviat, ac proinde nulla hic dari potest communio, ut evidens est, nulla divisio. Hinc ne concipi quidem potest, quod proprietas ipsi non sit. Demant adversarii quidquid velint ex aliquorum superfluitate: diuturnitatem imminuant possessionis bonorum tam mobilium, quam immobilium: plurima, ut ipsis libet communia sint; at nihilominus quam plurimae res aliae supererint, quarum proprietas exclusiva erit, et individualis. Hoc autem in casu ubi terminus, seu mensura inter necessarium, et superabundans; inter pertransenntem, et permanentem possessionem reperitur? Aliunde vero, id quod adversarii *communem proprietatem* nuncupant, aut *nullius* adhuc proprietas est, aut proprietas societatis complurium hominum, qui coaluerunt, ut de Rebuspublicis agentes videbimus, non vero insimul *universorum*. Coeterum sine proprietate, atque hujusmodi jure occupandi ac possidendi objecta externa, externas res, eisque utendi, homines infeliciores brutis animantibus forent;

nec ideo inter mirabilia orbis terrarum reperirentur, nisi ut quam primum miserrime interirent: sublimes eorum facultates tam physicae, quem morales, divitiaeque omnes naturae eis inutiles prorsus essent; nec ipsi primi conjuges sese tueri, nec progeniem edere potuissent. Hinc proprietas individua ab hominum existentia separari nequit, illiusque defectus concipi nullimode potest: ex quo luculenter patet, nulla ratione ab origine humana esse repetendam.

Naturalis origo individualis proprietatis, non minus ex ejus *universalitate* evincitur. Et quidem eam cunctis temporibus, omnibus in regionibus, inter populos omnes intuemur. Nullum reperitur, ne ex brutis animalibus quidem, cui sua exterior proprietas desit, cui proprium cubile, seu habitaculum *proprium* non sit: nemo est, qui rem aliquam vel acquirat, vel eam suis viribus producat, qua unice sibi tamquam propria non utatur, nec perfracte defendat id, quod sibi proprium est: quidem etiam sunt, qui multa provident. Sit quidem, quod Adversarii id nuncupent *instinctum*, sensumque morali legi consentientem, ast certum quoque est, exceptis latronibus, omnes alienam proprietatem agnoscere. Generatim loquendo, nemo ex animantibus alium suo loco deturbat; ne-

mo alteri sua eripit cibaria, nisi necessitas, aut praecedens impellat injuria: ea obtinent ipsi, queis videtur nullus esse dominus, seseque ab aliena abstinent proprietate, quam agnoverunt: quidquid eis objicitur, accipiunt, eademque ratione, qua sibi propria tuentur, non impediunt, quae innocue coeteri acquirunt: aeque ipsi, ubi aliquid surripuerunt, incidunt in animadversionem, sibique praepeti consulunt fuga.

Naturalis origo proprietatis clare quoque eruitur ex ejus *perpetuitate*, ex eo nempe, quod destructioni obnoxia nequaquam sit. Enim vero non pendet ab hominum voluntate, quod una proprietas, aut nulla omnino sit: etiam cum vellent, eam abolere non possent: sicuti quidquid caelestem habet originem, inest ei, si generaliter loquamur, quidam character, qui destrui omnino non potest. Tyrannum effingite, sectamque aliquam furore actam, potestateque praeditam satis mente carere ad statuendum, uti suae doctrinae fundamentum proprietatem in ipsorum territorio nullam jure amplius esse; impossibilis penitus foret eorum voluntatis executio, naturaeque lex eorum legi praestabit. Ad summum, et quodam tantum tempore perdurante, aggressiones in proprietatem frequentiores, et impudentiores essent, ante-

quam hec absurda lex statueretur; at multa semper superessent iis, qui expoliarentur; ipsi latrones et vellent asservare proedam, et quidquid ante legitime possidebant, aut jus proprietatis sorte inter se recognoscerent. Quin asseri quoque posset, ipsas direptiones, aususque contra proprietatem non equidem quam ante frequentiores futuros; quoniam orbis totus ab hac lege desciseeret, dementiae, atque atrocitatis eam merito insimularet, quisque obsisteret, ne perficeretur, imo gloriose se facturum putaret palam non obtemperando. Hujusmodi Tyranni lex nihil aliud reapse foret, nisi negatio defensionis proprietatis, seu declaratio ipsum nolle in posterum proprietatem jam amplius tueri: at primum tali declaratione non semper opus est, tum quia homo non omni temporis puncto, nec a cunctis hominibus se laesum arbitratur; cum etiam quia ipsi rerum domini se defendere possent, atque etiam sibi invicem opem ferre. Hinc igitur est, quod laedi, appeti, destrui proprietas nonnullorum potest; impossibile vero est eam ad nihilum omnino redigere; et hinc etiam, quod eodem modo, quo potest naturalis lex violari, sed non abrogari; aliqua socialia vincula dissolvi, sed numquam omnia aboleri; similiter quoque imminutiones, distractiones,

direptionesque bonorum alienorum nihil aliud efficiunt, nisi quod vulnerent, et laedant istorum jura, ut alii proficere valeant, nisi quod imminuunt aliquorum possessiones, ut injuste in aliorum dominium transeant, at numquam vero, quod existentiam cujuscumque proprietatis extinguat.

Quinto naturalem esse, ac proinde legitimam etiam originem proprietatis *primitivae*, quae scilicet acquiritur per occupationem rerum, ut communiter dicuntur *nullius*, evidenter patet ex ratione, et universali consuetudine, seu experientia. Ratione quidem inquimus, quia hujusmodi primitivae proprietatis acquisitio, seu occupatio rerum *nullius* conformis est Divinae legi justitiae. Ex quo enim homo naturali praeditus libertate, jus habet servandi vitam non solum iis rebus quae de necessitate sunt, sed commoditate maxima, maximisque solatiis; ex quo per beneficentiae legem in ejus corde inscriptam tenetur ulterius sibi prodesse, similibusque suis, eorumque tueri existentiam, melioremque facere conditionem, opus habet etiam necessario, externas res impendere, vel terrae fructus, sine quibus usus ejusmodi jurium, aeque ac executio talium obligationum illi foret impossibilis. Ille hac perfruitur facultate, ea tantum conditione, ut

nullius jura laedamur, sine qua conditione ne vivendi quidem jus haberet. Jam vero res externae, quaeque a natura producuntur, priusquam occupentur, ad neminem pertinent, non sunt enim *particularis* seu *singularis* alicujus proprietas, quoniam nullus secum eas a nativitate fert; neque *communis* proprietas, dum haec effici non potuisset, nisi media conventione; sed ad acquisitionem, et usum cujuscumque oblatae, certe adhuc res sunt, domino carentes, idest res *nullius*. Quapropter qui primus earum fit dominus, alterius jura non laedit, agit tantummodo, quod licitum est, prout adversarii etiam in eorum hypothesi admittunt (1), obligationem etiam exequitur, tum cum res necessaria est ad suam, proximive salutem tuendam. Igitur indubium semper est, quod occupatio, ac possessio capta rei, quae ad neminem pertinet, adjuncta expressa voluntate eam servandi, est prima, naturalis legitimaque cujuscumque proprietatis origo, et quoad hoc, qui *prior in tempore*, *potior etiam in jure est.*

---

(1) *Vid. pag.* 158.

Jam vero possessionem rei *nullius* initam a ceteris hominibus observandam esse prorsus manifestum est ex morali lege justitiae, qua homines ad invicem tenentur. Eam de facto denegare obligationem idem est ac eamdem Dei legem inficiari. Namque evidens est, ex quo homo juste sibi proprietatem alicujus rei vindicavit, idest integris juribus alienis, absque injustitia illi auferre jam amplius non potest. Haec obligatio eadem est, sive possessor rem per se occupaverit, sive quod solum voluntatem aperiat sibi perpetuo eam vindicandi, servandique stabiliter, et permanenter. Etenim ex quo licita erat inita possessio, necessario convenit, quod actio quae perturbat quietem vel effectum occupationis destruit illicita sit. Ferit et laedit ipsa legitimam possessoris voluntatem, eripit ei fructus omnes justae actionis, quod revera naturali legi contrarium est. Ut breviter dicamus, hinc jus occupandi, quod sine domino est, et illinc obligatio, qua caeteri omnes urgentur, non obstandi hujus juris exercitationi, duae res sunt, quae sibi respondent, seu correlativae, et illa concedi non potest, quia haec admittatur: ex quo tempore igitur actio agnita est, ex quo aliquis jus occupationis exercuit, et sua proditur voluntas sibi servandi rem, quam occupavit, strictae justi-

tiae obligatio exurgit omnibus ab ejusmodi re sese abstinendi, ut ipse libere, et quiete ea perfruatur, quia sine domino esse desiit, ubi alicujus proprietas esse coepit. Ut haec obligatio extet, nec eorum consensu opus est, nec humana lege, nec conventione, eoque minus etiam idea, vel hypothesi pactionis tacitae, et generalis. Namque si exercitatio juris naturalis nonnullas res occupandi, quae ad neminem pertinent, vel iis exclusive perfruendi, a caeterorum consensu repetenda foret, consequens esset, quod primi ab alterius excludi possent a perfruendo iisdem rebus, videlicet, quod isti dominium haberent rerum, quae interim absque dominio sunt; et hoc absurdum, et repugnans est. Jus occupationis jam amplius jus haberi nequiret, vel illusio esset, et prorsus inutile, si absque alterius consensu exerceri non posset: etenim hujusmodi consensus, bonaque voluntas tertii necessaria non est, nisi in illis actionibus, quae aliter illicitae forent, et ad alienam proprietatem acquirendam, non vero eas res, quae dominio carent.

Sexto tandem naturalem proprietatis originem evincit universalis experientia tam praeterita, quam praesens, quae quamlibet bonorum communionem sive *negativam*, sive *positivam* prorsus excludit, quamque jam

nos chimericam omnino demonstravimus. Quoad experientiam praeteritam, quis numerare valeret, quot in qualibet mundi aetate, praesertim vero antequam numerus hominum augeretur, quot, inquimus, extiterint res sive mobiles, sive immobiles *nullius*, quae scilicet, utpote a nemine nondum occupatae, domino carebant? Quis enumerare valeret tot animalia bruta in nemoribus, volucres in aere, pisces in aequore, silvae in desertis montibus, insulae inhospites in magno Oceano, ac etiam in nostra licet frequentissima Europa, quarum possessio naturali occupatione capta fuit? Quis tot haeremitae, quis tot coloniae, a quibus bona tam mobilia, quam immobilia, nemine contradicente naturaliter occupatae fuere? satisfit historias omnes appellare. Ad experientiam praesentem descendentes, nullimode ambigendum, res *nullius* tam mobiles, quam immobiles, tam in aere, quam in aequore, tam in interiori America, quam in nostra Europa, etiam nunc temporis reperiri, earumque rerum omnium proprietatem, seu possessionem quotidie *per occupationem*, aeque ac in antiquioribus temporibus, adipisci (1).

---

(1) *Vid. excellens caput De Haller Tom.* 3. *Cap.* 25 *ex quo plura pro hac re non*

Quid plura si etiam per adversarios nostros quam plurimae res *nullius* semper extiterunt, ac modo extant; cum juxta eos ab initio nequaquam omnia *per universitatem* occupata fuerint, nec hodie dum occupatae sint adeo ut multa nondum facta sint *singulorum*, sed partim in communione positiva, partim in negativa permanserint, ac permaneant. (1)?

Quod si hodiernam experientiam prae oculis habere placeat, ea praeclare inspicitur tum in pueris, cum in hominibus cujuscumque ordinis sint. Donec, sane, inter pueros res quaecumque ad neminem adhuc pertinet, inter se contendunt, cuinam ipsa continget, certant, ut exploratum habeant, qui primus eam arripiet; at statim ac unus ex iis pueris potitus est, sibique vindicavit, uti proprietatem suam tuetur, coeterique omnes sua recognoscunt jura, quamvis etiam physica possessio desineret. Projicite argentum, seu res alias, quae alicujus pretii sint in mediam hominum multitudinem, qui convenerunt se-

---

excepimus. De eadem re sermo redibit, ubi de origine Principatuum erit disserendum.

(1) *Heinnec. Lib.* 1. *Cap.* 12. §. 2.

se invicem ignorantes, vel per aliquod signum vestrum aperite voluntatem abdicandi alicujus rei possessionem, illico cernetis multitudinem confluere, ut eam arripiat; res adhuc sine domino remanet; at ubi aliquis potitus est, illi veluti de jure possessio permittitur; et si aliquando difficultas oritur, non circa regulam, sed circa factum primae occupationis quaestio versatur. Ad quid igitur cum adversariis angere animum, atque ad commenta confugere, ad fictionem primaevae communionis *negativae*, ac subsequentis *negativae* communionis, ut originem proprietatis agrorum explicemus; cum ratio et experientia concorditer demonstrent ad instar proprietatis bonorum mobilium, ipsam acquiri, et initio fuisse acquisitam *per occupationem*, et tantum serius per conventiones, individuales tamen et non collectivas?

QUAESTIO V.

An semper extiterit, extetque modo status naturae, in quo vincula, et ligamina omnia, seu relationes omnes sociales, tam parvae, *quam* magnae *inducantur seu producantur, ita ut pro habenda so-*

cietate ad relationes civile, seu factitias nequaquam recurrendum sit.

Not. 1. Relatio socialis si consideretur *in fieri* est habitudo, seu dispositio hominis ad se uniendum, seu devinciendum alteri, hoc est ad inducendam societatem. Cum autem unio, ac societas absque pluralitate personarum, eaque absque libertate, seu independentia, et absque subjectione, seu servitute haberi nequeat; hinc socialis relatio *bilateralis* est; ita ut scilicet sit aut dispositio, et aptitudo in aliquibus hominibus ad libertatem, seu independentiam, ac imperium exercendum; aut dispositio, et habitudo in coeteris aliis ad dependentiam, subjectionem, servitutemque subeundam. Hinc si relatio socialis *in facto*, ac prout existens consideretur, vel *libera* seu *independens* est, ut relatio patris ad filium; vel *dependens*, seu *serviens*, ut relatio filii ad patrem. Brevis dicemus, quod relationes sociales in facto, independentes sunt ex uno latere, et dependentes ex altero.

Not. 2. Relationes, quae dicuntur etiam vincula, aut ligamina inter homines essentialiter constituuntur mutuis obligationibus, atque officiis, operumque, atque auxiliorum permutatione. Id pacificum est inter nos et adversarios, cum hac tantum differentia, quod

nos officia hominum erga alios ex moralibus legibus naturalibus oriri defendimus; illi vero ex hominum conventionibus, ac institutis repetunt.

Not. 3. Nomine societatis *parvae* procul dubio intelligitur quaelibet societas conjugalis, paternalis, familiae, et herilis, per *magnam* vero ulteriores societates usque ad Statum intelliguntur. (1)

Not. 4 Quisquis relationum socialium originem inquirere velit, eam repetere poterit tantum vel ex dispositione naturae, et *naturales* tunc dicuntur; vel ex hominum facto, unde *factitiae*, seu *civiles* ab adversariis appellantur, nemo enim aliam relationum socialium originem excogitare valeret. Sane ipsi adversarii ad factitias, seu civiles relationes pro societate habenda recursum habent, eo quia, juxta eorum sententiam, abque relationibus factitiis, seu abque civilibus institutionibus, nec societatis, neque Statuum origo, nec officia subditorum ac Principum explicari queunt.

Not. 5. Si aliqui sophistae in eorum chimerico statu naturae prorsus *extrasociali* et

(1) *Pag.* 49.

et *exlege* audiantur, nulla datur relatio socialis ex dispositione naturae, sed quaelibet factitia, ac civilis est ita, ut etiam dependentia filiorum in infantia erga eorum parentes humanae institutionis sit, sed horum figmenta, et paradoxa jam satis refellimus.

Not. 6 Juxta Grotianos (1) naturales sunt dumtaxat societates, seu relationes simplices pluries memoratae, non vero relationes, seu societates magnae Status videlicet, ac Principatus (2).

Not. 7. Philosophi se *illuminatos* (inter tenebras) jactitantes, in medium afferunt statum naturae adeo socialem, ut quilibet pater familias independens sit omnino, ac verus Princeps. Ante hosce pseudo-politicos post Puffendorfium Heinnecius docuerat - *primum inter homines imperium fuisse domesticum, paterfamilias simul erat princeps, et imperans familiae suae* (3) „ *Quisque*

---

(1) *Sic brevitatis causa vocamus Juristos omnes, qui duce Grotio societates domesticas tamquam naturales admittunt.*

(2) *Pag.* 4. 41.

(3) *Lib.* 2. *Cap.* 1. §, 7.

pater paterfamilias ejusdem juris erat, ac hodie Reges et supremi Principes (1); quasi quod, nos addimus, omnis paterfamilias ab omnii alio independens esse potuisset.

Not. 8. Quaestio proposita in hanc aliam recidit, utrum extiterint semper sociales relationes *naturales*, vi naturae nempe productae tam inter membra unius familiae, quam inter familias distinctas, ita ut status naturae numquam cessaverit, et quod idem sonat, numquam homines a praetenso statu naturae plus minusve *extrasociali*, ad statum *socialem factitium*, seu *civilem* transierint cum propriae atque originariae perfectae libertatis, aliorumque jurium naturalium detrimento. (2)

Not. 9. Sub hac eadem quaestione disserendum est, utrum in qualibet sociali relatione ipsa natura per se efformet, inducat, atque constituat *libertatem*, *dominium*, *imperium* ex uno latere, et *dependentiam*, *subjectionem*, ac *servitutem* ex alio, quin illa, vel hec ab unionibus, et a deliberationibus collectivis repetenda foret. Hisce praenotatis, sequentes propositiones statuimus.

---

(1) *Lib. eod. Cap.* 5. §. 1.
(2) *Vid. pag.* 45.

PROPOSITIO I.

Semper extitit status naturae, in quo sociales relationes inducuntur, atque habentur inter membra ejusdem familiae, nec non inter diversas familias.

Prob. Illa propositio tamquam vera admittenda est, quae evincitur ex *necessitate*, *universalitate*, atque *perpetuitate* relationum socialium inter homines (siquidem necessitas, universalitas, ac perpetuitas totidem sunt notae, seu proprietates tales, ut naturae dumtaxat, numquam vero inventis hominum competere possint); quae experientiae universae, historiisque omnibus innititur; et quae omnium Sapientum auctoritate fulcitur; atqui etc.; ergo etc. Majorem propositionem nulla probatione indigere, manifestum est. Probatur idcirco minor quoad singulas partes.

Primam partem quod attinet, ad eam probandam, intrant varia argumenta, quae sub quaestione tertia attulimus; ibi enim et exemplo, seu natura sociali brutorum, et naturali amoris instinctu, ejusque effectibus, et naturalibus facultatibus intellectualibus hominis, et naturalibus legibus universalibus

physicis, ac moralibus demonstravimus, hominem a suo Auctore ad societatem determinatum fuisse. Porro quod naturae humanae inest, quodque ex universalibus ejus legibus proficiscitur, necessarium profecto, universale, ac perpetuum dicendum est.

Prob. 2. Fusiori atque clariori expositione dictarum proprietarum socialium relationum. Harum *necessitas*, ac proinde existentia, evidens omnino est. Infantili aetate durante, pueri singulis temporis momentis vitam procul dubio amitterent, nisi cura, sollicitudine, protectione, ac uno verbo amore parentum tuerentur Si eorum aetas crescat, novorum auxiliorum necessitas in eis augetur adeo, ut prorsus indigeant vel omnibus, vel saltem aliquo ex tribus praecipuis, atque universalibus auxiliis, *alimento* videlicet, *defensione*, ac *instructione* seu doctrina, et quidem recta seu vera, error enim, cujuscumque generis sit, perniciosus semper est, ac vitandus.

Sed neque vir adultus, licet in robustiore aetate constitutus, ad hujusmodi indigentiis, et necessitatibus immunis evadit; nam ob diversitatem, ac differentiam virium, seu facultatum tam physicarum, quam moralium, quas natura inter homines diversimode pene in infinitum distribuit, nemo in-

ter omnes invenitur, qui suis necessitatibus omnibus providere valeat, quique aliorum subsidio, aut opere, plus minusve, frequenter vel raro, non indigeat aut pro sui conservatione, aut pro commodiori vitae ratione, aut pro feliciori vivendi modo juxta tendentiam naturalem, innatam atque invincibilem, quam quisque in se experitur, ad majorem, quantum fas est, beatitudinem etiam in hoc Mundo. Et hujusmodi veritatem habemus. Pauper divite indiget, qui media ei pro alimentis suppeditet; et dives, e contra, paupere indiget ad hoc ut, istius opera et auxilio a multis laboribus se abstinere possit: debilis fortem virum inquirit, ut ab eo protegatur; et fortis debilem quaerit, a quo aliis de causis servitia, et utilitates reportet; Juvenis imperitus audit virum sapientem, ac experientia praeditum, a quo dirigatur, atque instruatur, ut vitae cursum tuto ex se ducere valeat; vir sapiens e contra indiget alterius succursu, atque auxilio, ad hoc ut ipse suis studiis, ac meditationibus libere se dare valeat, et ut ejus scientia, seu ejusque doctrinae, ejus altiores notiones nequaquam inanes remaneant, sed potius uberes, ac utiles fructus tam sibi quam proximo producant. - *Natura* dicemus cum Libanio, ***hominem homini adju-***

torem et socium vitae effecit (1) -. - *Vir virum*, addit Plinius, *et urbs servat urbem, manus manum lavat, et digitus digitum. Salus omnis in sociis* (2) -. - *Quo alio tuti sumus*, subdit Seneca, *quam quod mutuis juvamur officiis? Fac nos singulos: quid sumus? praedae animalium et victimae, imbecillimus et facillimus sanguis* (3) - Haec omnia breviter aeque ae egregie innuere Acheawall, et Putter ubi dixerunt - *Ad societatem colendam indigentia naturalis compellit; voluntas Dei nos naturaliter obligat; invitat simul ille alios amandi instinctus, seu philantropia ingenita* (4). - *Questi tre motivi*, pie sapienterque explicat De Haller, *si riducono in essenza alla volontà di Dio; Dio soltanto vi vien rigoardato sotto differenti rapporti; ora come Autore delle leggi morali, ora come Creatore della natura. Le leggi del dovere, come le leggi fisiche forzano l' uomo a vive-*

---

(1) *Declam.* 19.
(2) *Hist. nat. Lib. IX. Cap. 46.*
(3) *Lib.* 4. *De benefic. Cap,* 18.
(4) *Proleg. ad Jus. nat.* §. 86.

re in società (1) Velint igitur, nolint adversarii, relationes sociales de jure naturae, naturalis nempe originis admittendae sunt nedum intra privatarum societatum limites, seu intra ejusdem familiae membra, verum etiam inter familias distinctas, earumque membra.

Quinnimo, amoris instinctu obstante, ne eum in infinita quidem, ut verbis Tullii utamur, voluptatum abundantia, ullus homo segregem omnino in solitudinem vivere vellet (2). *Nec verum est*, alibi ait idem summus Orator ac Philosophus, *quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitae, quod ea quae natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco (tantum) istam esse cum hominibus communitatem et societatem. Quod si omnia nobis, quae ad victum, cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus remissis, totum se in cognitione, et scientia collocaret. Non est ita. Nam et solitudinem fugeret, et socium*

---

(1) *Tom. II. pag.* 101. *Not.* 1.
(2) *Lib. de Fin. Cap.* 20.

studii quaereret ; tum docere , tum discere vellet , tum audire , tum dicere (1) -.

Praeterquam quod naturali legi *physicae necessitatis* , quae oritur ex inaequalitate virium ac mediorum, non addi nequit naturalis lex *necessitatis moralis* ; lex nimirum benevolentiae ; ob quam homines vicariis officiis atque operibus , pro indigentiarum ac mediorum mensura se opitulari tenentur - *Ad mutuas operas* , insignis Imperator dixit, *nati sumus , quomodo pedes , manus , palpebrae ; dentium superiorum , inferiorumque ordines* (2) ea scilicet de causa , quia naturalium illarum legum virtute , homines vel coguntur , vel cupiunt operas , officia , et auxilia mutuari ; ex quo nova vincula , nova ligamina ; novae , uno verbo , relationes sociales inter remotas etiam familias nascuntur. Hinc autem descendit, quod omnis dependentia hominis erga alium, vel est *necessaria* , vel est *voluntaria* , ut infra latius observabimus.

A *necessitate* relationum socialium , de quibus agitur , earumdem *universalitas* recte

---

(1) *De off. Lib.* 1. *Cap.* 84.
(2) *Marco-Antonino.*

infertur; nam quod natura homini in quacumque aetate necessarium est, id in omnibus hominibus debet reperiri. Et sane societas est *factum*. quod invenitur in universa natura (1) Enim vero existentia socialium relationum naturalium prae oculis undique habetur, ubicumque homo, aut in quacumque aetate considerari placeat. Quoties in sua infantia inspiciatur, evidens est, quod hic socialibus relationibus naturaliter devinctus parentibus reperitur, sicuti parentes vicissim diversis relationibus aliis hominibus extra etiam eorum familiam obstringitur. Prout infantis indigentiae, sive pro alimentis, sive pro defensione, sive pro instructione multiplicantur, nova ligamina contrahit; et si horum aliquod solvatur, aliud vinculum prioris locum occupat; ea nempe insuperabili de causa, quia homo, etiam in robustiori aetate solus subsistere nequit, sed alieno auxilio indiget, modo pro vitae, rerumque suarum conservatione, modo pro dulciori ac commodiori vita; unde, iterum dicimus, officiorum ac servitiorum permutatio, novaeque et quamplures relationes na-

(1) *Vid. pag.* 129 *et seq.*

scuntur, eaque ratione, natura societatis ligamina intra majores circulos dilatat, ac eadem ratione, seu permutatione officiorum, habentur relationes independentes, et relationes dependentes; in vim nimirum *individualium* seu *singularium*, non vero *collectivarum*, seu *simultanearum* conventionum inter homines. Et sane impossibile est, et repugnat etiam in terminis, quod *quilibet homo* sit paterfamilias, et possit vivere ex fructibus propriorum bonorum. Ex adverso impossibile omnino est, quod *quilibet paterfamilias* sibi sufficiat ita, ut non indigeat ab ullo pendere, quidquid sic dicti philosophi *illuminati* autumaverint. Aliunde vero si numerus hominum alicubi multiplicetur, iique potentiori sive divitiis, sive animo, sive doctrina, uniantur, illi, qui ultimo loco venerunt, nequeunt expoliare suis juribus, ac possessionibus eum, qui prius pervenit, neque imperium usurpare super rebus, quae, ad eum pertinent. Opus est imo quod vel ei inserviant, vel recedant, alibique novas habitationes quaerant, ubi nihilominus ipsi, vel sociales relationes ejusdem generis invenient, vel libertate gaudebunt novas relationes efformandi.

Perpetuitas tandem socialium relationum ex hactenus dictis perspicue dignoscitur. Cum

enim ea ligamina ab ipsa natura producantur, ideo, generaliter loquendo, destrui nequeunt, sicuti nequit destrui ipsa natura. Finis ac terminus unius socialis relationis, illico, atque eodem temporis momento similes relationes producit, quod etiam in Statibus accidit, ut suo loco videbimus. Filius revera, qui e paterna domo exit, se subjicit servitio extraneae personae, vel ipse efficitur pater; homo, qui se liberat ab uno ligamine, statim in aliud incidit; unitur quis aliis ex suis similibus, vel alii sibi sociantur; ipse vel servit, vel ei servitium alius praestat; et licet etiam aliqua furens secta omnes sociales relationes, tamquam libertati, et aequalitati oppositas, destruere conaretur, numquam id posset obtinere, nisi virium *unione*, quae jam *sociale ligamen* esset; et tandem, numquam pertingeret ad destructionem socialium relationum familiae neque diversarum particularium conventionum, quae vicissim unam familiam alteri, vel plures familias unae tantum conjungere posset. Eo pacto, ex gr. quo quis agrorum flores conculcare, non autem eos creare, valeret, atque, natura, homine quidem potentior, similes semper reproduceret.

Prob. 5. experientia, atque historia, quae naturalem societatem, jam ratione atque natura hominis ostensam, confirmant undequaque. Ejus, sane, initium, vel tempus, vel locum adversarii assignare ullo pacto valent. - Chiamate, *egregie eis ait de Haller*, chiamate la natura in testimonianza, volgete i vostri occhi sulla rivelazione dell' Onnipotente: vi osservate forse altro che un insieme infinitamente complicato di legami sociali tra gli uomini? Esistè mai una contrada sulla terra, o un epoca nella storia senza connubj, senza domestici rapporti, senza scambievole dipendenza, senza mutuo soccorso, senza padri di famiglia, senza capi di armate, o di dottrine, o finalmente senza una riunione di tutte queste cose? Ambiscono d' esser filosofi, amici della ragione, ed ignorano, che un fatto universale suppone egualmente una causa universale, che un ragionamento confermato dall' intera natura è vero, e che un ipotesi smentita e rifiutata da questa natura medesima, appartiene alla classe delle chimere, e delle illusioni. (1)

(1) *Tom.* 2. *pag.* 161.

Scholion. Alicui fortasse videbitur, nostrae propositionis sensum postulare, ut hic naturalis quoque origo magnarum societatum, nempe Statuum ostendatur; ast de hoc non incongrue infra, ubi in harum secunda Institutionum parte demonstrabimus, nullum essentiale discrimen intercedere inter societates, quae *parvae*, *simplices*, *domesticae*, seu societates familiae nuncupantur, et inter societates, quae *magnae*, seu Statuum ac Principatuum nomine communiter dicuntur; sed posteriores hasce societates nihil aliud de jure naturali esse, quam *culmen*, *apex*, *fastigium*, atque *corona* illarum, ita ut non distinguantur, nisi ob summam Capitis potestatem, perfectamque libertatem, seu absolutam, ac omnimodam ab hominibus independentiam, et quidem naturalem, seu naturalibus viribus, ac mediis acquisitam.

Prob. 6. Auctoritate tum sapientum virorum, qui ante socialis contractus, sive supremae potestatis populi fictionem, relationes sociales non ab hominum conventionibus, ac commentis, sed a natura ipsa procul dubio agnoverunt; cum subsequentium Scriptorum, quos adversarios habemus. Catholicis lectoribus sequentes Sacrae Scripturae textus exhibemus. *Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi*

de omnibus (1) *In Juda vero facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut faciant secundum praeceptum regis et principum, verbum Domini.* (2) *Et ipse mutat tempora et aetates, transfert regna, atque constituit; dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam* (3). *Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur* (4) *Honora medicum, propter necessitatem etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela; et a rege accipiet donationem.* (5) *Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* (6) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo*

---

(1) *Sap* *Cap.* 6. *v.* 8.
(2) *Paralip.* c. 30. *v.* 12.
(3) *Daniel.* c. 2. *v.* 21.
(4) *Sap.* c. 6. *v.* 4.
(5) *Ecclesiast.* c. 38. *v.* 1. 2.
(6) *Colos.* c. 1. *v.* 16.

ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. (1). Porro si hujusmodi textus simul conferantur et recte interpretentur, nil aliud significant, quam quod omnis potestas tam *parva*, quam *magna* a natura rerum, idest a diversitate mediorum, ac indigentiarum inter homines proficiscitur. Et quidem antiqui, eosdem textus intellexerunt non in eo sensu, quasi quod Deus modo quodam *immediato, supernaturali* ac *prodigioso*, principes et superiores constituerit; sed eo sensu dumtaxat, quod neque potestas principum, nec diversitas mediorum, nec dona fortunarum inter homines distributarum creata fuerint, aut inventa ab hominibus, et quod derivabant ab ipsa rerum natura, hoc est ab institutione Divina, seu a naturali rerum ordine. Brevius loquendo, textus iidem nullam aliam significationem habent, quam quod potestas principum, aeque ac illa privatorum hominum, *immediate* a Deo proficiscatur, minime ve-

(1) *Ad Rom.* c. 13. v. 1. 2. 5.

ro *factitia*, seu *artificialis* sit, ut adversarii somniarunt (1); de quo iterum, ubi de origine Statuum.

Inter prophanos auctores antiquos, recensere sat erit, Platonem, Aristotelem qui docuerunt, Societatem ob hominis egestatem, et ob animi felicitatem ortum habuisse; et Tullium, qui miro prorsus modo originem naturalem, et successivam relationum socialium extensionem evolvit illis verbis - *prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis, deinde una domus .... sequuntur fratruum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque etc.* - (2) Nec desunt Juristae, qui etiam post contractus socialis fictionem nostrae propositioni, eorum sententia non parum faveant. Eam saltem indirecte admiserunt auctores illi, qui aut sociali contractui obstiterunt, prout *Cumberland*, primus Hobbesii hostis, *Filmer* sub titulo - Patriarcha - *Tommasius* licet libertatis amator, et *Mac-*

---

(1) *Vid. De Haller Tom* 1. *pag.* 233. *et* 234. *Tom.* 2. *pag.* 163.

(2) *de Offic.* 1. 17. *Vid. Hein. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2.

chiavelli acerrimus hostis (1), *Graswinkel*, *Mandalin*; aut pro populi imperio summo decertarunt, ut *Quesnel*, et *Bossuet*. qui hanc doctrinam ut Protestantismi fructum anathematae percussit, *Wieland*, *Scholosser*. Celebris Jurista *Hern* asserit, Status operam esse naturae, ab ordine naturali, sive a temporum successione descendentes. Percelebris *Albertus De Haller*, immortalis Caroli Ludovici Avus, Principum naturalem originem e familiae Parentibus, exercituum ducibus, et doctoribus ortum ducere firmissime tenuit. *Hobbes* ipse nonnulla de *naturali* Civitate dixit, licet ad Civitatem *conventionalem* statim redierit in sua Opera „ *Leviathan*. *Grotius*, *Puffendorfius*, *Heinnecius* veram Imperiorum originem quodammodo agnoverunt, et loquuti sunt de Imperiis ex patrimonialibus bonis, et potestate non aliena, seu a populo data, sed propria, et personali Capitis potestate firmata et comparata. (2) *Loke*, *et Bohemerius* pene societates naturales, civilibus prae-

(1) *Vid. Catechis. nost. pag.* 167.
(2) *Vid Heinnec. Lib.* 2. *Cap.* 9 §. 7. *De Haller Lib.* 1. *Cap.* 6. *et Lib.* 2. *Cap. XI.*

tulerunt. *Achenwal*, et *Putter* fere agnoverunt societates civiles nil aliud esse, quam societatem naturalem sublimiori perfectioni elatam (1). *Rousseau* Democratici regiminis laudator summus, impossibile esse Democraticum regimen, palpabili contradictione docuit (2); et alibi dixit. *Parmi .... di porre in tesi, che quando le funzioni del governo sono divise tra molti tribunali, la maggior autorità va tosto, o tardi a concentrarsi in mani ai meno numerosi, essendo ciò la* naturale *consequenza della maggior e possibilità, che in questi si riscontra di dare spaccio alle pubbliche bisogna* (3). *Sieyes*, rebellium Philosophorum omnium parens, rectas notiones habuit circa naturam relationum simplicium dominii, et inter particulares circa dependentiam (4). *Kant*, licet absurdioribus erroribus satis notus, veritati quodammodo consensum praebuit, dum professus fuit, statum usque huc existentem, *statum naturalem socialem* censendum fore

(1) *Ved. Haller Tom. 2. cap. II.*
(2) *Ved. Haller Tom. 2. cap. 6.*
(3) *Contrat social. cap. 4 lib. 3.*
(4) *Ved. Haller Tom. 1 cap. 6.*

in ipsoque statu *naturaliter* diversi generis societates existere, ut supra exposuimus (1). Spedalieri, Kant coaevus, statuit, quod in statu naturae voluntaria submissio locum habuisset, non pacto, sive lege positiva, sed *voce naturae*, et vi inaequalitatis tam physicae, quam moralis, id quod pariter supra ostendimus (2), et locum pariter in eo statu habuisset *naturalis auctoritas*, aeque ac in statu civili, quae auctoritas precibus, obsequiis, laudeque, similibusque actibus erga alios dignosci potuisset (3). Hic silentio praetereundum haud est, hunc, aliunde egregium Auctorem, dum suis conjecturis (quae meliori modo insimilitudines, improbabilitates, et contradictiones vocari possunt) toto homine nititur firmare *civilem societatem* a Deo manare, et speciali ipsius Dei gratia hominibus fuisse *praeventam*, veluti in pictoris tabula, *idealiter* tamen, minutim originem societatem, statuumque describit, privatae Familiae exemplo, quae ex copula viri, feminaeque efformatur, et extenditur,

---

(1) *Vid. etiam Haller Tom.* 1. *cap.* 6. *et Tom.* 2 *cap.* 12.

(2) *pag.* 169. *Nota*.

(3) *Sped. Lib.* 1. *c.* 7. §. 17.

una cum prole, precise observando in ea ab ipso efformata tabula, ordinem reperiri, quem *natura ob nostros oculos constanter tenet.* Verum hac ipsamet ab eo descripta tabula, quis non videt, eumdem professum fuisse naturae statum, quem nos statuimus, quomodocumque fuerit, quod se deceperit, vocando ipse *societates civiles* tam societatem *domesticam*, sive *Familiae*, quam Status, diversasque Nationes? (1)

Adsunt et alii Auctores aliunde obsequio digni, qui licet admittant relationes sociales *naturales* Familiae, et aliorum naturalium hominum unionum, attamen contradictione laborant, quoties ab ipsis de admissa substantiali differentia disseritur, particularium nempe societatum, et illarum quae societates *civiles* appellantur.

PROPOSITIO II.

In qualibet relatione sociali sive parva sive magna, natura ipsa constituit libertatem, seu independentiam, dominium, ac imperium ex una parte; et dependen-

(1) *Lib.* 1.

tiam, subjectionem, et servitutem ex altera; ita ut quaelibet independentia ac dependentia originis naturalis sit, non autem humanae. (1)

Prob. Independentia et dependentia derivatur ex quamplurimis indigentiis, seu necessitatibus, quibus homines obnoxii sunt ob disparitatem virium, ac mediorum, quos natura modo, pene in infinitum, diverso inter homines ob mutuam eorum utilitatem distribuit; ergo etc.

Prob. Antecedens universali experientia, quam mundus totus ob oculos semper habuit, nedum in pueris, verum etiam in adultis, cujuscumque aetatis fuerint, ac sint. Naturalem, imo naturalissimam (si ita loqui fas sit) esse libertatem, seu independentiam, parentum respectu filiorum, subjectionem, ac servitutem filiorum respectu parentum, ob nempe saepe dictam virium ac mediorum differentiam, adeo perspicuum est, ut nulla probatione opus sit. Tantum dicemus cum adversario Puffendorfio, quod *potestas paterna sit antiquissimum simul, ac sanctissimum genus imperii, quo paren-*

---

(1) *Vid, pag.* 76. *et* 77.

tum jussa venerari, eorumque praese eminentiam agnoscere tenentur liberi; quidquid vero idem auctor dixerit de hujusmodi potestatis origine, de qua infra.

Nostrae propositionis veritas non minus liquet in Adultis. Horum quoque aliquos plus, minusve, pro modulo seu mensura mediorum, atque indigentiarum natura reddit dependentes, alios independentes; liberos aliquos, servos alios. Et quidem nonne in qualibet mundi aetate infans, debilis, ignarus, naturaliter, aeque ac hodie, subjecti seu subditi fuerunt juxta eorum indigentiam, ac necessitatem? Nonne potens, dives, sapiens e contra, naturae vi semper liberi, independentes, ac domini, aeque ac hodie fuerunt? Itidem sicut nunc, ita transactis temporibus maritus imperavit propriae uxori, propriisque filiis, herus servis suis, dux suis militibus, magister suis discipulis, artifex operariis suis, pater familias domesticis omnibus, advocatus clientibus, medicus aegrotis? Praeterquam quod, plures ex his qualitatibus seu conditionibus in uno homine concurrere, ac uniri queunt; adeo quod ille eodem tempore et pater, et caput familiae, et fundorum possessor, et doctor, et advocatus, et minister esse possit, ac proinde, multiplicatis relationibus naturali-

bus, latius dominium; seu auctoritatem super numerum adhuc majorem hominum exercere valeat.

Objic. Relationes sociales non efformantur inter adultos a natura *immediate* ut relationes Familiae, sed ea contractibus, aut expressis, aut tacitis mutui succursus, seu servitii, et ope humanorum actuum, quibus hinc inde voluntas signis sensibilibus ostenditur; ac insuper objectum, seu finis permutationis officiorum admodum variabilis est; ergo relationes quibus homines maturae aetatis devinciuntur, non sunt *naturales*, neque *naturalis* propterea independentia, et dependentia censeri poterit.

Resp. Difficultatem hanc nullo pacto nostram propositionem infirmare; etenim tam relationes domesticae, seu familiae, quam relationes aliae inter adultos homines invectae, pro fundamento habent superioritatem virium; hoc est a virium superioritate oriuntur; ita ut eidem superioritati omnis auctoritas, ac omne dominium, innitatur ex una parte, et indigentia ex altera sit id, quod nomine dependentiae, ac servitutis appellatur, uti jam jam demonstrabimus.

QUAESTIO VI.

An semper extiterit, et modo extet naturae status socialis, simulque extra-socialis; ita ut in hominibus neque origi-naria libertas, seu independentia perfecta, neque aequalitas inter eos universalis admitti queat.

Not. 1. Hujusmodi quaestione nequaquam inquiritur, utrum status naturae sit eodem tempore *socialis et extrasocialis* undequaque, seu absolute ac omnimode; hoc enim diametralem contradictionem involveret. Quaestio igitur est, an status naturae sit status libertatis perfectae, et aequalitatis universalis, nec ne, et an de essentia societatis sit, nec ne, ut omnes homines eisdem obligationibus, eisdem de causis, ac in eodem gradu, sive *ad invicem*, sive *erga imperantes* devinciantur.

Not. 2. Cum adversarii autument, quod omnes homines natura liberi, seu independentes nascantur, et natura aequales indiscriminatim sint (1) quodque status iste na-

(1) *Vid. pag.* 26. *et seq. et Heinnec. lib.* 2. *cap.* 1. §. 1.

turalis, seu naturalis libertatis olim cessaverit, ac cesset per renunciationem, saltem tacitam, eidem originariae libertati, ad effectum tuendi, ope superioris potestatis, aequalitatem jurium naturalium (1): ideo contendunt quod in societatis statu, per eos *adventitio*, omnes homines relationibus aequalibus, aequalibusque obligationibus, ac in eodem gradu conjungantur, seu obstringantur, adeo ut omnes dependentes sint eodem modo, eisdem de causis, iisdem titulis, tam ad *invicem*, quam erga eorum principem, seu erga supremam potestatem; atque haec imperet aequalibus pariter relationibus, iisdem titulis, iisdem juribus, aequalique extensione super omnes ac singulos homines intra status peripheriam degentes Id profecto autumant adversarii, juxta eorum praetensi juris publici universalis systema, illis videlicet de causis, quia pro societatis, vel saltem supremae auctoritatis institutione, aequali mensura originariae independentiae perfectae renunciassent; quia cives omnes sese ad invicem per collectivas, et simultaneas *deliberationes* devinxissent, et quia ad societatis finem proprias vires,

---

(1) *Vid. pag.* 46.

et singularia jura cumulassent, ac sponte, conjunctimque tum sibi invicem, cum Capiti, seu Capitibus Status *factitii* se subjecissent.

Nota 2. Adversarii docent insuper, quod licet genus humanum, universaliter sumptum, a primaevo statu naturae, scilicet *extrasociali*, ad subsequentem Statum socialem *civilem*, ut vocant, transierit, et hoc modo naturae statum *cessaverit*; attamen admittunt, eumdem statum naturae extitisse, existere modo, ac existere posse *in particulari*. Sic sentiunt inter caeteros, Schwarz. Per eum in statu naturali, seu perfectae independentiae, et aequalitatis originariae, immunitatis videlicet ab omni voluntate, et imperio hominum - *hodie dum sunt solitarii plurimi, in eremis viventes; Imperantes summi, Reipublicae iudependentes respectu similium, Civitates in anarchiam delapsae, membra omni imperio libera; mortalium multi in terris vacuis; aut insulis erigentes sibi colonias* etc. (1) In

(1) *Datur et dari potest status hominum naturalis, saltem in particulari. Non tamen in genere, seu respectu totius generis*

eamdem sententiam, inter caeteros abie-

humani umquam extitit, existit, aut existere potest in moderna Creatoris Providentia. Ratio prioris est, quia constat a primis saeculis, et extitisse et existere multos, seu interveniente morte, seu consensu mutuo, solutos non modo patria, sed omni alia potestate: ergo constat, et vixisse et vivere liberos naturali, seu omnimoda libertate, quales initio fuere filii, a parentibus emancipati; fratres peculiarem sibi formantes familiam, ab omni imperio independentem; confluentes in unam Civitatem, seu rempublicam potestati nulli in terris obnoxiam. Quales hodie dum sunt solitarii plurimi, in eremis viventes, Imperantes summi; Respublicae independentes respectu similium; Civitates in anarchiam delapsae, membra, omni imperio libera, mortalium multi in terris vacuis, aut insulis desertis erigentes sibi colonias etc.

Ratio posterioris est, quia Genus humanum in moderna Creatoris Providentia numquam extitit, existit, aut existere potest extra societatem saltem conjugalem; ergo numquam fuit, est, vel esse potest omnino independens ac liberum. Part. **1.** *Tit.* **2.** *Instruct.* **1.** *Quaest.* **3.**

rat, Heinnccius (1); et abiit nuper Finetti. (2)

Nota 3. Nos vero chimericam distinctionem status primitivi *extrasocialis*, et subse-

---

(1) *Lib* 2. *cap.* 1. §. 7.

(2) „ *Verum tametsi status naturalis, quoad integrum genus humanum vix, ac ne vix quidem perseverare potuerit, numquam tamen penitus extinctus est. Nam et semper fuerunt, et nunc quoque sunt aliqui (pauci quidem, si cum toto humano genere conferantur) qui si ad invicem comparentur, statum retinent naturalem. Hi porro sunt omnes imperantes supremi, qui nulli omnino sive peculiari, sive communi domino subsunt. Eademque ratione Civitates illae, penes quas est suprema potestas, si altera ad alteram referatur, in statu sunt naturali, in quo etiam esse dicendi sunt solitarii homines, qui eremos incolunt, nullius ditioni subjectas: at illi etiam, qui ad incolendam aliquam insulam, vel terram, a nemine prius occupatam, casu aliquo, vel etiam propria voluntate delati sunt. Lib.* 5. *Cap.* 7.

quentis Status socialis *factitii*, seu *civilis*, cum omnibus suis consectariis rejicentes, atque spernentes docebimus, statum *verum* naturae eodem tempore utique continere tam relationes sociales, quam relationes extrasociales, in hoc sensu nempe, ut tantum absit, quod status naturae sit status congenitae libertatis, seu independentiae *perfectae*, et originariae aequalitatis *universalis*, quinimo potius sit status *independentiae* simul in non paucis hominibus, et *dependentiae* in quampluribus aliis *aequalitatis* in aliquibus, et *inaequalitatis* in aliis; idque necessario, vi nempe naturae, ac suarum legum universalium tam physicarum, quam moralium, seu ut aliis verbis utamur, vi aeterni ordinis socialis, a Deo tamquam Creatore rerum omnium, et omnium legum naturalium auctore instituti. Sit itaque

PROPOSITIO

Semper extitit, ac modo existit naturae status socialis, simulque extrasocialis, adeo quod in hominibus neque originaria libertas, seu independentia absoluta, *nec inter eos aequalitas* universalis *admitti queat.*

Prob. 1. Universali, ac omnium temporum experientia. Profecto, sicuti in prima mundi aetate, (natura enim eadem semper fuit) homo quilibet constitutus inspicitur ubique, tum in statu naturae sociali, cum in statu naturae extrasociali. Infans equidem vix in lucem editus, illico in sociali relatione cum suis parentibus, et eorum famulis, si quos habeant, constitutus invenitur; ast puer idem eodem tempore reperitur in relatione extrasociali cum suis similibus, et cum reliquis hominibus quoad eum extraneis. Quisquis ex hominum multitudine consideretur, procul dubio constitutus, reperitur in relationibus omnibus possibilibus eodem tempore. Relationes simpliciter extrasociales habet cum magno numero hominum, qui nulla erga eum obligatione peculiari tenetur, et erga quos e contra ipse itidem particularia onera adimplenda non habet, sive in eadem, sive in diversis regionibus moretur. Vicissim autem ipse habet cum aliis relationes sociales, modo tanquam superior, modo tanquam inferior, et aliquando (licet magis raro) tanquam membrum Communitatis, seu Reipublicae. Ipse est dominus, seu condominus illorum, servus aliorum, et aequalis cum ultimis. Non enim omnes, homines liberi, aut dependentes esse queunt eodem

tempore, et in eodem gradu. Quinimo ipsi Principes, qui ab adversariis dicuntur vivere in statu naturali, seu extrasociali, hoc est in statu naturalis libertatis, in eo non reperiuntur nisi respectu ad alios homines sibi aequales, aut relative ad alios homines, qui cum illis aliquam particularem relationem non habent; verum ipsi vivunt in statu sociali cum eorum subditis, et subordinatis; ex quo fit, ut ab istis exigere queant omnia jura, et adimplere debeant omnia officia quae a natura hujus relationis descendunt. Quamvis vero difficilius sit Principes ad horum officiorum implementum adstringere, quam caeteros homines, non ideo immutatur, minus destruitur ipsa obligatio. Insuper illa officia, seu onera, ac sponsiones, quas Principes saepe in se erga eorum aequales suscipiunt vi diversarum conventionum, adeo perveniunt aliquando, ut haud facile esset ea officia distinguere ab ordinario servitio, quod inter particulares personas obtinet. Tandem Principes pertinent aliquando ad Communitates, Collegia, Sodalitia particularia, seu ordines, et tamen eorum potestate, ac fortuna non obstante, non majora jura, quam caetera membra habent. Haec omnia non aliter esse queunt, cum impossibile omnino

sit, ut jam probavimus (1) quod quilibet homo eodem tempore in societate sit cum aliis omnibus; et impossibile itidem sit, quod vivat cum ipsis extra societatem omnino. Nemo quidem solus, seu ex se, et absque alieno succursu omnibus necessitatibus suis occurrere potest; ast non ideo omnium hominum succursu indiget; et hinc est quidem, quod natura hominem in relatione sociali cum aliquibus constituit, et simul in extrasocialibus relationibus cum aliis.

Corollarium 1. Falsum igitur est omnino, quod status extrasocialis existat inter principes tantum, ut docebant Pseudo-philosophi, ac Jurisconsulti; quinimo existit inter omnes homines illos, qui nullam habent vicissim particularia ligamina, aut conventiones servitutis, seu officii, et societatis, hoc est, qui non sunt erga alios, neque superiores, neque inferiores, nec membra ejusdem Communitatis, qui reperiuntur per consequens, ut se exprimunt Jurisprudentes, *aequales* inter ipsos, et respective independentes, inter quos nulla alia relatio reperitur, nisi relatio *hominis ad hominem*, et qui hae

(1) *Vid. pag.* 207.

utique de causa non alia mutua officia adimplenda habent, nisi obligationes *justitiae*, *et benevolentiae*, qua quisquis homo erga alios indistincte tenetur.

Corollarium 2. Manifestum igitur est, quod dum beneficia Sapientia Divina providit, ut ab hominis arbitrio non penderet id quod ejus existentiae, et conservationi necessarium omnino est, ut sunt relationes sociales, eodem tempore amplam ei reliquit libertatem pro suis legitimis actionibus; cujus autem libertatis renunciationem adversarii volunt ad relationes sociales *hominis facto* habendas.

Corollarium 3. Adversarii non recte, sed absque ratione statum *extrasocialem* nomine *status naturae* vocarunt eo in sensu, quod *in ordine temporum* status ille extrasocialis nimirum statum societatis praecesserit, et quod iste status, videlicet socialis, nonnisi postea ab hominibus fuerit institutus, ope nempe collectivarum deliberationum; nam uterque status, ut satis patet ex demonstratis, naturalis est, seu in ordine naturali rerum reperitur, semper perduravit, numquam destruetur: uterque est in ordine *necessario* naturae, ac in utroque nos absque nostro concursu, et etiam invitos constituit, ac immittit. Status tamen extrasocialis non est

magis ordinarius; sed si admittere opus sit, ut opus est reapse, quod genus humanum descenderit a communi parente, merito Pufsendorfius sentiit, quod status socialis fuit primus, et quod status extrasocialis exiit postea ex familiarum dispersione - *Status autem naturalis*, sunt ejus verba, *idest extrasocialis inde emersit, quod multiplicati homines una societate non amplius continerentur* (1) Neque recte, quinimo non absque contradictione adversarii asserunt, summos Imperantes, et Civitates liberas in statu naturali, hoc est naturalis libertatis reperiri, ac vivere; juxta enim eorum systhema nemo Imperans potest effici, nulla Civitas libera constitui, nisi ex hominum deliberationibus, nonnisi *contractu sociali*, ex quo descendit, quod dictorum Imperantium, et Civitatum libertas *factitia esset*, non vero naturalis. Alias contradictiones silentio praetermittimus.

Corollarium 4. Evidens igitur est, falsam immaginariam, atque chimericam esse tum praetensam, perfectam libertatem, seu independentiam originariam hominis, cum aequali-

---

(1) *De Jur. nat. et Gen. lib.* 2. *Cap.* 2. §. 7.

tatem universalem, sive inter singulos homines, sive inter patresfamilias. Veram aequalitatem, aequalitatem scilicet jurium naturalium inter homines, suo loco ostendemus.

QUAESTIO VII.

An detur status naturae, in quo dominium, seu imperium quodlibet tam infimum nempe, quam summum, universali lege naturali constituatur, ita ut nulla potestatis delegatio *in hominibus, nullaque* humanae institutionis *potestas agnoscenda sit.*

Not. 1. Dominium hic non accipitur pro facultate hominis in res proprias, sed pro dominatione, ut jam patet etiam e sensu, quo idem vocabulum hucusque adhibuimus. *In* eodem sensu hic accipitur imperium (seu jus dominandi) ab infimo usque ad summum, quamvis imperii nomine per antonomasiam auctoritas suprema nuncupetur. Porro adversarii quoque Patris potestatem, seu auctoritatem, imperium appellant. (1)

---

(1) *Vid. pag.* 170 171

Not. 2. *Dominium*, *imperium*, *auctoritatem* unum ac idem esse, et communiter unico vocabulo, seu nomine *potestatis* appellari, sicut et nos appellabimus. E contra synonima sunt *dependentia*, *subjectio*, *servitus*.

Not. 3. Proposita quaestio aequivalet huic, an quodlibet dominium sive imperium tam in Principibus, quam in personis privatis, itemque, an subjectio, et servitus sit originis naturalis juxta unam tantum universalem legem naturae, seu causam effectricem naturalem.

Not. 4. Si dominium, ac imperium a natura proficiscitur, tunc utpote naturale, est etiam *proprium*, *personale*, ac *individuale*, a bibulco usque ad Regem, neutiquam vero aut *cessum*, aut *translatum*, aut *concessum*, aut *delegatum* ab aliquo ex hominibus. Exinde sequitur quoque, quod omnis potestas, potestas iterum inquimus, non solum Principum, sed etiam privatorum hominum veniat a Deo *immediate*, virtute nempe, ac vi aeterni ordinis socialis ab eo, uti diximus, statuti.

Not. 5. Adversarii docent, omnem potestatem ab arbitrariis hominum conventionibus, ac deliberationibus, ab eorum institutis, ac praesertim a generali populi voluntate de-

rivari; potestate patris in filios non omnino excepta, eam etenim etiamnonnulli Grotiani saltem in parte a legibus civilibus, seu Juri romano repetunt, ut infra videbimus.

Not. 6. Nos ex adverso defendimus, omnem potestatem originis, seu juris naturalis, vel ut aliis verbis utamur, cujuscumque potestatis causam *effectricem*, ac *productricem naturalem* esse, eamque haberi per unicam legem universalem naturae, quae consequitur ex alia universali naturae lege superius exposita, ex universali nempe disparitate virium, ac mediorum, quibus opus habet homo, sive pro vitae conservatione, sive pro defensione, sive pro intellectus illustratione. Ea igitur lex est, ut inter homines ille imperare debeat, qui *fortior*, seu *potentior* est, qui nempe prae caeteris abundat mediis ad aliorum etiam vitae sustentationem, defensionem, et instructionem necessariis; ille vero obedire, ac subesse debeat, qui eisdem mediis, aut absolute indiget, aut ea exoptat pro commodiori, ac feliciori vita; et hinc est, quod causa *effectiva* imperii in potentiori hominis facultate aliqua utili agnoscenda sit; causa effectiva subjectionis vero ac servitutis, in indigentia, aut necessitate. Hisce omnibus pro recta rei intelligentia adnotatis, sit

PROPOSITIO

Una tantum lex universalis naturae dominium, ac imperium assignat fortiori, seu potentiori, ei nempe, qui aut opibus, aut viribus, aut scientia aliis succurrere potest; subjectionem vero, ac servitutem imponit debiliori, ei nimirum, qui aut alimento, aut protectione, aut instructione indiget: seu dominium, et imperium oritur ex naturali superioritate virium, ac mediorum; subjectio vero, ac servitus ab eorumdem mediorum defectu. Alias: quodlibet dominium, ac imperium fundatur in naturali superioritate, seu majoritate alicujus facultatis utilis; ac servitus quaelibet in defectu, seu indigentia ejusdem facultatis.

Prob. Ea lex admittenda est, quae generali experientia dignoscitur; quae in universis rebus creatis inspicitur; quae a communi hominum pendentia seu inclinatione evincitur; quaeque auctoritate tam sacra, quam profana fulcitur; sed ita est; ergo etc. De majoris veritate nemo erit, qui dubitare velit, utcumque adversarii, praesertim recentiores, *usum* perpetuo cum *abu-*

su confundentes, nigro atque horrendo calamo legem, de qua loquimur, descripserint. Neque in dubium quis revocare poterit, quod dominium, et imperium, vel *naturale*, vel *delegatum* tantummodo concipi possit; adeo ut primo admisso, secundum ablegare necesse sit. Itaque

Prob. min. in suis partibus aureo cap. 13. eximii Operis De-Haller, illud nempe ab italico in latinum sermonem de verbo fere ad verbum immediate vertentes.

Et primo quidem experientia universali. Quamvis enim major hominum pars in statu aut *necessariae*, aut *voluntariae* dependentiae gradibus pene in infinitum distinctae reperiatur, attamen a rege usque ad inopem nullus invenitur homo, qui non imperet super aliquam rem, et super aliquos sibi similes. Pater sane imperat mulieri, ejusque filiis, vir maturae aetatis inexpertae juventuti, dominus servis suis, dux suis militibus, artifex operariis suis, proprietarius agrorum suis domesticis, aliisque in suo dominio degentibus, Juristae suis clientibus, nec non medicus suis aegrotis. Tantum abest, quod aliquis de harum simplicium relationum justitia dubitaverit umquam, quinimo unusquisque huc usque earum justitiam, necessitatem, utilitatem mutuam, et modum

eas efformandi, ac solvendi agnoverit. Jam vero manifestum prorsus est, quod hujusmodi dominium, ac imperium non habetur, nisi ob altiorem gradum alicujus facultatis utilis ex una parte, et indigentia alimenti, protectionis, ac directionis respondentis superioritati illi naturali, qua sublevatur. Etenim vero vir super conjugem suam regnat, eo quia eam sibi elegit, quia defendendam accepit, et quia, ordinarie, et generaliter loquendo, eam spiritu, et viribus physicis vincit. Pater filios suos gubernat, non solum quia hi debent ei existentiam, et vitae conservationem, sed etiam quia aetate, scientia, viribus praestat, et quia quolibet, temporis momento ejus potentia indigent. Dominus servis imperat, quia eos nutrire valet, ac stipendium illis solvere, quia ejus divitiis, seu fortuna habitationem praebet, vitae sustentationem, ac diversas alias vitae delicias, quas aliter sibi comparare nequiret. Dux sociis suis mandata edit, quia eos vincit dexteritate, fortitudine, ac opibus, quibus eorum servitia retribuere valet; isti autem vicissim ejus protectione, ac stipendio indigent. Magister auctoritatem exercet super auditores suos, ac discipulos, quia eis praecedit scientia, arte, peritia, quibus carent

isti, eisque indigent. Quare aegroti se submittunt medici imperio? Quare praescriptionibus suis se conformant, nisi causa suae superioritatis in cognitione aegritudinum, ac remediorum, et indigentiae ipsorum? Quare litem habentes jurisconsultos adeunt, seipsos illis committunt, et juxta eorum consilia tempus, pecuniam, eorumque proprias cognitiones impendunt? Undenam haec auctoritas exoritur, nisi ab indigentia ex una parte, et naturali superioritate ex altera? Praeterea observandum est, quod hujusmodi imperium, ac subjectio, seu servitus nequaquam ab hominis voluntate pendet, sed legis, de qua hic, est effectus *universalis*, *necessarius*, ac *perpetuus*, uti tale est id omne, quod a Deo proficiscitur. Quinimo vir potens regnat, et dominatur etiam praeter ejus voluntatem, et quin dominationem inquirat indigus ex adverso (et talis est plus, minusve homo quilibet sub certis respectibus) dependet, subest, ac servitium praebere meditatur, etiamsi nemo ab eo servitia postularet, et licet mundus totus ejus libertati faveret. Vir egregie doctus ex: gr: ac ingenio praestans, qui detegit, et proclamat veritates, et momentosa principia auctoritatem constituit penes multitudinem credentium; ipse est auctor eorum voluntatis, eorumque actionum,

etiam tum, cum non eas quaerit, neque novit. Ignarus e contra, vir debilis animo, auctoritati extraneae obtemperat, licet a nemine cogatur, et licet titulum spiritus fortis, aut illuminati viri usurpare praesumat. Si divitem, et pauperem, sapientem, et insipientem, fortem et debilem ob oculos ponamus, qui conventiones ineant qualescumque, semper merget major libertas, et dominium ex parte illorum, major autem dependentia, ac obedientia ex horum parte. Existit ergo, experientia docente, permagna et destructionis nescia lex naturae, quae fortiori, seu potentiori imperium assignat, et subjectionem debiliori imponit.

Prob. secundo. Auctoritate tam sacra, quam profana plurium Scriptorum, qui saltem transeunter, tacite, atque implicite hanc naturae legem persaepe agnoverunt. A Scriptoribus sacris habemus - *Manus fortium dominabitur; quae autem remissa est, tributis serviet* (1) - *Dives pauperibus imperat, et qui accipit mutuum, servus est foenerantis* (2) - *A quo enim quis superatus est*,

---

(1) *Prov, XII.* 24.
(2) *Ibidem XXII.* 7.

hujus et servus est (1). - *Nam et ego*, sapienter arguebat Centurio, *homo sum sub potestate* (tribuni mei et Caesaris) *constitutus, habens sub me milites. et dico huic, vade, et vadit; et alii, veni, et venit; et servo meo, fac hoc, et facit* (2) -. Sacris, profanos Auctores addimus - *Sempiterna et communi omnium lege receptum est, inferiores parere praestantioribus* (3). - *Naturae est enim potioribus deteriores submittere* (4). *Stagyrita* (Aristotiles) ancipitem saltem se explicat semper circa hoc principium, quod nempe cujuscumque auctoritatis basis ac fundamentum sit superioritas naturalis, licet illud non exprimat neque exponat ea praecisione ac simplicitate, cujus capax est. *Cicero* pro causa imperii, quod in homines exercetur, beneficiorum magnitudinem ponit, largitiones, timorem etc. (5); quae omnia nonne potestatem supponunt? Æ-

---

(1) „ 2. *Petr.* 11. 19. *In haec loca vide a Lapide.*

(2) *Luc.* 7. 8.

(3) *Dionig. d' Alicar.*

(4) *Seneca.*

(5) *De offic. Lib.* 1. *Cap. VI.*

quum est debiliora pro naturae suae modo subjici potentioribus (1). *Wieland* magis huic veritati accessit ingeniosa sua dissertatione edita - *Sul diritto divino della sovranità* - (2). Caeterum, etiam hujus principii hostes, illi nempe qui continuo insipidas, ineptasque invectiones in fortioris imperium evomitant, persaepe illud, saltem veluti traseunter, dum lucida habent intervalla, agnoscunt. Sapientia se eis exhibet in via, sed nunquam ipsi ea utuntur, semperque ordinarium naturae cursum dedignantur.

Prob. tertio ex eo, quod *potentioris* lex sicut caeterae naturae leges, universo orbe viget atque dominatur. Cur equidem nos elementorum imperio subjicimur, nisi quod illa fortiora nobis sint? Cur aestui ac frigori, igni et tempestatibus, undisque cedere cogimur, eorumque subire leges, nisi ut nos severae punitionis, ut ita loquamur, periculum vitemus, aut ne invincibilis eorum potestas nos perimat? In universa

---

(1) *Ibidem.*

(2) *Mercurio Allemanno Novembre* 1777. *e nel suo Viaggio nell' Eliso. Oper. Complet. Tom. XLVIII pag.* 248. *et seq.*

extensione illius regni naturae, quod a nobis inanimatum et inorganicum nuncupatur, nonne firma lex est, fortiores substantias opprimere debiliores, harumque actionem destruere? Si belluas consideremus, quae tellurem inhabitant, avesque per aer volitantes, ab aquila ac elephante usque ad insecta terrestria, ac rectile quod humi reptat, ubique fortiores statim cernimus species in alias se minores, interque ejusdem speciei animalia, ut mares in faeminas, magnos in parvos, fortesque in timidos etc. quoddam imperium exercere. Armenta quaeque suum habent caput vel ducem, hicque semper fortior omnium est „ *Multis quidem gregibus*, ait Seneca, *aut maxima corpora praesunt, aut vehementissima. Non praecedit armenta deneger taurus, sed qui magnitudine et toris caeteros mares vincit. Elephantorum greges excellentissimus ducit.* (1) Ac si nos aquilam aeris regionibus in sublimi volantem aspicimus cunctis aliis avibus superiorem, anne ita evenit, quod eam reginam sibi alites constituerint, vel potius quod ipsa vim intrinsece majorem alasque habeat robustio-

(1) *Ep.* 90.

res (1)? Inter homines, quorum virium genus altius est atque distinctius, eadem quoque lex, et nobiliori sub forma tantum reperitur. Homo inermis natus, super caetera animalia generaliter imperium tenet, quia haec spiritus potentia, ac mirabili manuum instrumento, quo tot naturae vires in totidem arma ad sui usum vertere illi conceditur, superat. Regnum ejus tamen haud continuum est, neque animalia omnia complectitur, sed in ea tantum extenditur, quae beneficiis ipse mansuefecit, (utili idest potentia, quae illorum consulit indigentiis); et in ea quae certamine superaverit, inque illa tandem, ex quibus altera naturali sua vi triumpharit. Praeterea homo in speciei suae similes regnat, quotiescumque eos facultate aliqua vel physica, vel intellectuali, sive morali superet, qua alii ad propriam indigeant utilitatem. Natura quidem, et hujusce auctoritatis mensura, tam speciei, quam gradui hujus superioritatis, relativae indigentiae, aut accurate etiam respondent. Dives

(1) *Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponit nidum suum? Job.* 39. 27.

enim nonnisi ab inope, fortis a debili, sapiensque ab indocto obsequium plerumque recipit, atque obedientiam. Quo majorem vim, ac extensionem, durationemque habet potestas, eo validius ac firmius dominium est: quam magis premens ac urgens est indigentia, eo minus possibile est ei occurrere, et major quoque ac inevitabilior servitus est ac dependentia. Sic, ex: gr: dominus famulo, et princeps ministro imperat, eo quia fortunae bonis, caeterisque rationibus seu respectibus eis sunt superiores; verum saepissime in herum suum dominatur servus, dum illum hic intelligentia, et in rerum cognitione ac experientia superat; et imo, sicuti aliis cunctis, hoc quoque imperii genere homines abuti, satis exploratum habemus. Si omnium potentior aegrotat, statim medenti suo parere cogitur, quamvis huic in reliquis omnibus rex ille jubere possit. Integrae acies plerumque miserum sequuntur agricolam, quem sibi Ductorem elegere; ejusque obtemperant nutui, quamvis eum torvo dumtaxat supercilio interimere queant. Uno verbo denique, quotiescumque homo sese necessarium ad alterius opem reddat, quoties a malo quocumque suos servare similes possit, illisque bonum aliquod comparare; tunc in illos re-

gnabit ipse, eisque leges imponet. At ex adverso, ubi vires aequales sunt, aut tales existimantur, neutro adest auctoritas (1). Fratres, discipuli, famuli, milites, aliique hujusmodi, etsi inter se et communem dominum intimam habeant relationem, nullimode tamen sibi mutuo parent, ac jubent. Pacem servabunt ipsi, dum sartas tectasque habeant justitiae leges: si verum aliter fiat, tunc inter se jurgia excitabunt ac bellum; neque interest sive bellum agatur armis, verbisque, aut scripto dumtaxat ante fortiorem, qui ei finem imponat. Sicuti demum unumquodque dominium in superiori potestate statuitur, ita eadem cum superioritate simul dominium illud cessat. Si fortasse dives pauper fiat, ac fortis in debilem, sapiensque in stupidum convertatur, ita ut haud amplius neque nocumentum, neque defensionem, et instructionem caeteris hominibus ferre possint, illico eorum labitur imperium: si filium consideremus, qui a paterna potestate solvitur cum ex se ipso necessitatibus suis consulere queat; ac famulum locupletatum, qui domini stipendia relinquit; discipulumque doctoris lau.

(1) *Par in parem non habet imperium.*

rea insignitum, atque aegrotum, qui pristinam salutem recuperat, usque ad potentem vassallum, qui talem esse desinit, dum fortis adeo fit, ut semetipsum defendere queat; semper, egestate cessante, dependentiam quoque cessare videbimus.

Prob. quarto. ex eo, quod lex, de qua agitur, non tantum in omni natura regnat, sed profunde admodum in corde hominum indita est. Nonne observationem meretur haec naturalis ac invincibilis inclinatio, quae homines ad sese in unum colligendos impellit, ac hortatur eos, ut libero volentique animo se ei addicant, cujus potestas superior quidem agnita sit? Hujusmodi inclinatio equidem, seu propensio demonstratur tribus argumentis.

1. Ex relationibus ordinariis servitutis inter privatas personas. A pueris incipiendo, facile dignoscitur, quomodo juxta respectivae auctoritatis gradum sese illi collocent; quomodo debilis fortiori libenter cedat, ejusque regatur viribus; quomodo junior adultiori, scientiori expers, timidusque impavido, et diviti inops primatum volenter concedant; quique obscura natus conditione illi inserviat, qui nobiliori progenie exortus sit. Sed dicendum fortasse erit, hac spectata ratione, inter pueros ac viros adesse discrimen? Non equidem: nemo in hac terra haud in-

vite sui aequalis imperium patitur, sive illius, qui sui respectu parvior est, ac minorem habet potentiam. Quisque legitimo superiori inservire cupit, et ab infimo mercenario usque ad ministrum, et usque ad exercituum ducem omnis ei libenter obtemperat, quem se majorem agnoscit. Minor agricolae filius, defuncto patre, cui libens antea serviebat, aratrum illico, ac paternum deserit tectum, ut servus fiat, non equidem fratris sibi aequalis, sed extranei, qui superior ei est. Domesticus in urbe degens, se magis ingentem, atque hominum aestimatione se dignum putat, prout dominus suus natalibus ac fortuna ab aliis magis distinguitur: magis grandi, quam parvo servire mavult domino, quamvis iste aeque stipendium ei solvat, ac forte humanius grandiori animo cum eo se habeat. Ad excellentem, atque artibus, scientiisque celebrem magistrum undique collecti affluunt discipuli; ac imitatores innumeri bonas ejus qualitates non solum, sed errores quoque imitantur, ac sequuntur. Superba illius rei potestas, quae mos, seu consuetudo appellatur, consuetudo inquimus, quae insulsa et incomoda, vel molesta plerumque praecipit, undenam nisi locis illis prodit, ubi de hujusdi ne agitur, ab aulis idest, vel praecipue

ex urb'bus, quarum exemplum, etiam absque ulla conventione, omnes undique sequuntur? Cur nam omnes servitium Principum expetunt, magis quam privatorum hominum, licet haec posterior servitus saepius, hac praesertim aetate, omnino lucrosa sit, ac etiam tutior, atque liberior? Oculi ad milites convertantur, et illico apparet, ultimum ex his duci illi obedientiam praeferre, qui praeter militaris artis peritiam, caeteros nobilitate sanguinis, atque fortunae bonis praecellit, aut illi, qui tantummodo nomine aliquo gaudent, cui quamdam auctoritatis ideam adnectere consueverit. Idem sensus penes ipsos duces locum habet, ac viget; nemo enim illorum ei lubenter obtemperat, quem se minorem existimat. Non suis equidem paribus, sed magnis tantum dominis inserviunt patricii; ac Principum nati, Regibus dumtaxat, atque Imperatoribus famulantur. Integrae acies insigni suorum ducum stirpe, fortunaque, et gloria superbiunt, eorumque nutibus libentissime parent, dum interim ille, qni se super alios sua potentia simpliciter elevat, semper in secretam resistentiam incidit, contra quam ei pugnare opus est: uno verbo, quo grandior, et potentior est dominus, eo magis honorificum illi inservire putatur. Saeculis labentibus,

potentiorum regum dominio gentes subditae delectantur, eorumque etiam flagitiorum gloriantur: et quisnam reapse in historiis gloria elucent, et admirationem in posteris excitant, nisi ii, qui amplissimo potiti sunt dominio, maximamque exercuere auctoritatem? Quod si demum fiat, ut potens aliquis ingenii praestantiam caeteris fortunae bonis adjiciat, illico in hujusce hominis prosperitatem, quamdam vulgo cernimus mentium alienationem, sive laetitiam, ebrietatis similem exoriri: omneque, ut sic loquamur, humanum genus ad eum se genibus provolvere anxius festinat. Tantum autem abest, quod homines generaliter a suprema naturali abhorreant potestate, quod odium e contra, ac zelotypia inter aequales dumtaxat, ac inter eos vigeant, qui tales se putant, tacetque invidia prout distantia major est, vel superioritas magis manifesta.

2. Ingenita, et ideo naturalis hominis inclinatio ad se subjiciendum, ac parendum potentiori in sensu a nobis intento, eruitur a ludis et voluntariis eorum solatiis. Hic quoque, ubi omnes aequales sunt, ac nemo alio indiget, suas ipsi metiri vires oblectantur' ut agnoscatur quis inter eos rex erit, vel talem esse merebitur. Huc ludi omnes absque exceptione diriguntur: et Olympiades apud

Graecos, Romaeque pariter Circi, et Amphiteatri, ac Gladiatorum palestrae; et ludicrae equitatus pugnae, quae medio aevo exercebantur usque ad consuetos societatis lusus, in queis sors periculo conjungitur, ac tandem usque ad pastorum ludos in montibus, et tenerae infantiae oblectamenta; omnia hujuscemodi ad dictum finem constituta sunt. Verum unde fit, ut absqne ulla conventione ac deliberatione, regionibus omnibus, omnibns saeculis, cunctasque inter gentes, ac hominum conditiones, haec virium lucta hominum delectamenta tum constituat; ac ubique ob involuntarium sensum, victori et non victo gloriam, honorem, atque auctoritatem unanimiter tribuant, donaque etiam, et tributa illi praebeant? Nonne est hoc novum hujus naturae omnipotentis legis testimonium, quod homini praecipit, ut *imperium* sive libenter, sive coacte nemini det, nisi illi tantum, qui est superior? Si hujusce rei causa inquiratnr, statim patet, quod id profecto accidit, quia generaliter natura potentiori protectorem, debiliori benefactorem, et non inimicum dedit; et hac de ratione utique fit, quod homines hanc vim externis, ac visibilibus effecıibus manifestari cnpinnt. Non inimicum, diximus, nam penes omnes homines innata lex suppouitur, quae

fraeno eorum potentiam contineat, ac consequenter sperant ipsi futurum, fore ut haec potestas non ad malum adhibeatur, sed ad bonum commune; quod bonum etiam, quidquid secus dici possit, communior est, ac frequentior effectus.

3. Propensio, ac tendentia, de qua sermo est, probatur ab electionibus, ac pactionibus voluntariis hominum. Enim vero, quid liberius est electionum ac conventionum hominum inter se? Attamen, etiam ubi voluntatis humanae concursus locum habet, et ubicumque aliquam potestatem, aut vim communem uni tantum, aut pluribus personis tradere, ac delegare oportet, naturae lex jugiter proprium servat imperium. A tractatibus faederis, ac pacis usque ad simplices emptionis, ac venditionis, famulatus, et locationis contractus inter minimos privatos homines, nonne fortior conditiones semper decernit, quin ei aut injustitia, aut violentia exprobrari queat? Anne opus non est, debilem pro indigentiae suae ratione, hujuscemodi conditionibus assentire? Cur omnes pauperum, ac debilium conventiones sibi ipsis damnosae, ac onerosae sunt, etiam dum majori modo accipiuntur; nisi quod eorum indigentia major sit, et nihil aliud praeter corpus fere, et manuum suarum laborem of-

ferre queant? Et quare, ex adverso, transactiones faciliori, ac minus oneroso modo, dum major habetur potestas, dum plura praestari queunt officia, ac minus alterius auxilio opus est? Nonne in Rebuspublicis quoque fortior est qui dominatur, aut forsitan putandum, hanc ibi naturae legem non oportere? Considerentur igitur Corporationes omnes, omnes Respublicae, a minima agresti comunitate usque ad Romam, quae orbis quondam fuit domina; ac invenietur absque ulla exceptione, ubique magnos, ac principales homines, et ditiores, illustrioresque cives, illos tandem, qui praecipui inter eorum aequales eminet, ac consequenter potentiores, rebus omnibus praesse. Quamvis Aristitis lex Athenienses ad suos magistratus ex cunctis civium gradibus eligendos confirmaret, ipsi tamen nobiliores *semper*, atque insigniores intendebant; ac etsi Romae, a populo vi palam extortum fuerit jus plebeos ad publica munera extollendi, haud tamen eos ad eorum nominationem reapse devenire nesciebat. Res procul dubio ita se habet in quacumque urbe, et in pagis omnibus, absque exceptione. Quamvis saepissime eveniat, ut civis potens quietem dignitatibus praeferat, nos populum cernimus, eum quasi flexis genibus suppliciter deprecari,

ut aliam potestatis additionem accipere dignetur, ac potentiam delegatam illi jungere, qua jam sua proprie gaudet. Quomodo igitur hoc phoenomenum explicari potest, nisi universali, ac indestructibili propensione, qua unusquisque ad illi ex animo obtempeperandum trahitur, qui superior potestate est, et consequenter ad dandum ei prae aliis proprium suffragium? Et quo numerosior est populus, eo liberior in eligendo est, magisque vivus aequalitatis sensus; ac securior est quoque haec naturalis superioritas praelationem obtinendi. Quoniam tunc solum quisque subjectum sese non quidem homini putat, sed potentiae superiori, idest naturae, atque illius auctori. Insuper dum nulla alia distinctio apparet, populi aliquando magnitudinem, ac speciem corporis egregiam respiciunt (1): et aliquando ingenium, aliaeque animi facultates in familiis aeternantur, et hac de ratione in cunctis communitatibus, et adhuc liberioribus populi electionibus, eadem semper nomina iterum apparere in-

---

(1) *Certe videbitis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* 1. *Reg.* 10. 34.

tuemur, donec ipsa existunt, aut illi, qui ea nomina deferunt, easdem utilitates recte servant. Quod si factio hunc rerum naturalem ordinem perturbare valet, ac parvos magnis praeponere, malos exitus, tantum haec innovatio producit, et parum durat. Magistratus, qui propter munus tantummodo distinguuntur, nec fiducia gaudent, nec aestimatione, odium dumtaxat, et spretum eos sequuntur, bellaque insurgunt civilia; atque populus ad illustriores, hoc est potentiores recurrit, nisi aliquis omnibus superior, sive invasor extraneus ipsam rempublicam destruat. Tandem si superior potestas non est, quidnam erit in collegio, seu corpore morali, aut communitate primatus? Cur nam hic minori parti bellum movet, nisi quod fortior sit? Hac de causa frustra quis naturam retundere conaretur: ipsa illius debellabit nisus, ac de eo triumphum aget; inexpugnabiles naturae vires suaviter eos dirigunt, qui eam sequuntur, et violenter abducunt, ac trahunt eos qui ei resistunt (1).

Objic: In electionibus, quae in rebuspublicis, vel alibi locum obtinent, non semper praefertur sapientior, magisque luminibus

---

(1) *Natura volentes ducit, nolentes trahit.*

praeditus; ergo verum non est, quod natura potentiori imperium assignet.

Resp. primo, quod de hoc non populi conquaeruntur, sed illi tantum, qui sapientiores se extimant, quique immaginantur, Spiritum Sanctum, ac coelestia lumina super eos tantum descendisse.

Resp. secundo, quod auctoritas, seu superioritas intellectualis haud sensibus subjicitur, paucique homines eam digoscunt; difficile est, quod judicium de ea ferri possit, et quoties de hujusmodi superioritate agitur, quisque sese putat, si non aliis superiorem, cuique saltem aequalem. Quoties tamen ipsa factis semel probata sit, ac generaliter agnita; tunc profecto existimatur quoque (1); verum

---

(1) *Nosti quavis in re parere homines maxime illis velle, quos existimant esse* praestantissimos; *nam in morbo potissimum illi parent, quem medicae artis putant peritissimum, et in navi qui navigant ei quem gubernandi putant peritissimum, et in agricoltura, quem agri colendi peritum in primis arbitrantur. Socrate Ap. Xenoph. Memor. Lib.* 3 *pag.* 764. *Hoc non refertur ad auctoritatem potentioris, et ad illud genus potentiae, qua indiget homo?*

ordinarie, et nisi saltem utilitatibus externis sit conjuncta, nil aliud ex ipsa descendet, praeter dubia, ac invidiam. Praeterea, haec eminens prudentia, nec semper, nec ubique necessaria est. Prima enim, et univresalis hominum indigentia, est vitae conservatio; secunda, protectio, seu defensio; tertia, est disciplina, seu instructio: pauper idcirco illi servit, qui modum se alendi suppeditat; debilis, illi qui eum defendit, potiusquam ei, qui praecepta, aut verae aut falsae sapientiae praedicat. Generaliter loquendo ille semper regnat, cujus potentia, ac necessitas sensiblior est: sic in bello ille dominatur, qui majori aptitudine, ac animo praeditus est; tempore pacis divitior; et si de scientiis agatur, aut de illis magnis calamibtatibus, quae absque concursu altiorum cognitionum, doctrinarum, et regularum universalium vitari nequeunt, tunc homines concorditer sapientiorem quaerunt, eique tamquam decisivae auctoritati obedientiam exhibent. Quid plura? In scientiarum rebus Principes ipsi, viris dictis obediunt. Unde prodeunt ideae et principia, juxta quae Principes regnant voluntarie aut involuntarie, nisi ea dominantibus doctrinis, atque influxu eorum, qui sapientum nomen moerentur, aut sibi usurpant? Quinimo idem Principes nedum duci pro bello gerendo, magno politico

pro imperii suo regimine, verum etiam ob clavem fabro, ob novaculam tonsori, et sutori ob calceamentum clausis oculis fidem praebent? Superfluum hinc ducimus observare, seu animadvertere, quomodo sublimiora ingenia etiam in scientiarum materia aliis fidem praebent; fidem, inquimus, Bradley quoad Astronomiam; fidem Netwono quoad attractionis leges. Excellens politicus excellenti Architecto, non quidem sibi credit in architecturae negotiis; eximius jurista eximio medico, et non sibi in medicinae rebus credit.

Firmum itaque, certumque undequaque est, naturam ipsam, Deum nempe ejus auctorem unica lege universali dominium, ac imperium, subjectionem, ac servitutem, in quovis hominum gradu, conditione, ac aetate constituisse, seu assignasse; ideoque *aeterni ordinis socialis* fuisse, nunc esse, ac futurum fore, ut *potentior*, recto sensu satis exposito, atque exharato, regnare debuerit, ac debeat.

Jucundum esset valde hujus legis simplicitatem, sapientiam, ac utilitatem in divino sociali ordine demonstrare; sed ne instituti nostri fines praetergrediamur, ad eximium auctorem, quem sequimur, lectores remittimus, ubi videlicet legem eamdem distinctione,

diligentia, ac ratiocinatione summa prae caeteris omnibus aliis scriptoribus egregie exposuit, atque explanavit.

QUAESTIO VIII.

An detur status naturae, in quo aliqua lege morali *quodlibet dominium, ac imperium ab inferiori usque ad supremum, dirigatur, cohibeatur, ac effraenetur; ita ut humano generi* civilibus *institutionibus, seu costitutionibus ad hoc neutiquam* opus *fuerit?*

Not. 1. Quoniam vidimus in quo fundetur auctoritas, quomodo, ac quonam sensu natura fortiori dominium, imperium, seu potestatem conferat, et assignet, adeo ut quilibet homo ab inope usque ad regem aliqua potestate fruatur; nunc perpendendum est, an ab eadem natura, hoc est ab ejus auctore lex moralis hominibus, tamquam libertate praeditis, indita, atque imposita fuerit pro ejusdem potestatis recto, ac determinato usu in eorum actionibus *ad invicem*, quin ad hoc institutis humanis, seu civilibus legibus opus fuerit.

Not. 2. Manifestum profecto est aliud esse, quod fortis, seu potens, dominus, ac imperans sit, et aliud, quod potestate sua pro-

lubitu uti queat: aliud esse, quod quilibet homo aliquid possit, et aliud, quod omnia eis liceat: aliud esse, uno verbo, usum seu exercitium imperii, quod a natura confertur, aliud vero ejus abusum, quod ex parte hominis impossibile esse nequit. Attamen haec duo adversarii, vel dolose, vel incaute confunderunt. Recentiores vero ideam naturalis potestatis *per* se *utilis* uumquam ab idea *noxiae vis*, *seu violentiae* sejungere voluerunt; quasi quod eo quia ubique in hominibus regnet potestas, ideo illis omnia liceant, *ideo omnia sint validiorum; ideo pro foedere, proque justitia sit ensis*; *ideo quaerendus belli exitus, non causa*; *ideo in summa fortuna id aequius sit, quod validius*; *ideo acies factura sit, nocentem*, hoc est iu nocentem convertere victum (1): quasi fortis jus habeat lactentem infantem sub pedibus calcare; pater filios gladio jugulare; paterfamilias in domesticos saevire, eosque prostituere, ac expoliare; dominus servos suos inediae, ac fami relinquere, injuriisque afficere; medicus venenum,

---

(1) *Historica exempla, quibus sententia haec referuntur, innuuntur a De-Haller*: *Tom.* 2. *Cap.* 14.

grotis praebere; doctor discipulos suos chimeras, et errores pro veritate, ac firmis notionibus docere.

Not. 3. Philosophi Athaei, uti stulti commenti sunt, homines nasci plane liberos, seu exleges, ideoque et societatem et potestatem omnem *factitiam*, et *delegatam* fuisse, ac esse ita consequenter docuerunt, potestatis quoque exercitium, seu usum *factitium* atque *arbitrarium* esse; hoc est dirigi, limitari, ac circumscribi debere pro humanae voluntatis lubidine, ab institutis, legibsque civilibus, praevia renunciatione perfectae libertati originariae.

Not 4. Grotiani equidem moralem legem *naturalem* itemque *naturalem* potestatem in societatibus simplicibus fatentur, sed *factitiam*, seu *civilem* eam volunt in societatibus magnis, seu statibus, utpote per eos, *contractu* sociali fundatis; eamque idcirco dirigendam, cohibendam, ac exercendam esse pro modo delegationis privatae potestatis hominum contendunt, hoc est juxta fines ac modum delegationis ejusdem privatae potestatis Civium, juxta hominum deliberationes, juxta *generalem populi voluntatem*. Adversarii isti autumant insuper, quod etiam, potestas viri in uxorem, parentum in filios,

dominorum in servos, saltem in parte, *civilem* ac *factitiam*, fuisse, ac esse, et ideo exercendam esse juxta fines statutos, et modos ab institutis seu constitutionibus *civilibus*, a potestate, quam vocant *politicam*. Contra hujusmodi doctrinas sit sequens

PROPOSITIO

Datur status naturae, seu naturalis lex moralis, quae quodlibet dominium, ac imperium, ab inferiori usque ad supremum, dirigit, coercet, ac effraenat, ita ut humano generi civilibus institutionibus, seu constitutionibus ad hoc neutiquam opus fuerit.

Prob. 1. in genere a necessitate hujus legis in actionibus hominum ad invicem. = *La natura*, ait sapienter de Haller, *la natura, ovvero il suo possente Autore, situando gli uomini sulla terra, gli uni a fianco degli, altri in reciproche relazioni Infinitamente variate, gli ha dotati nel tempo stesso d' una libera volontà, e di ogni sorte di mezzi per eseguire questo stesso volere, e per travagliare così pel loro proprio ben essere. Ora questo fatto ammesso una volta, la ragione ne può da se sola dedurre quanto mai questa diver-*

sità e questa rivalità di forze, e d' interessi farebbero nascere contrasti, e guerre interminabili, se non esistesse una legge universale, una regola commune, per dirigere l' impiego di questa libertà, in modo, che gli uomini se ne servino, non già per offendersi a vicenda, ma bensì per soccorrersi; per conservarsi, e non per distruggersi tra loro; e per conseguenza onde l' ordine dell' insieme possa sussistere colla libertà dell' individuo: cui nulladimeno sempre resta dischiusa un immensa carriera.

Siccome tutto ciò, ch' è assolutamente necessario all' uomo non è giammai abbandonato alla sua invenzione, così pure la sapienza del nume non ha fatto dipendere dalla nostra arbitraria volontà l' esistenza di questa legge universale, destinata a non esser mai obbliata, ad esser osservata in ogni istante, e in tutte le circostanze. (1)

Prob. 2. itidem in genere ex alibi demonstratis. Antea enim pluribus argumentis, ac etiam Sophistarum impiorum auctoritate probavimus intrinsecam distinctionem inter bonum et malum morale ex natura sua, et quasdam actiones hominum ad invicem, *benevo-*

---

(1) *Tom.* 2. *cap.* 14.

lentiam, miserationem, *generositatem*, *beneficentiam, clementiam* totidem virtutes esse, totidemque e contra vitia censeri *cordis duritiem*, *ingratitudinem, mendacium, homicidium, barbariem, crassationem*, *dolum*, *infidelitatem*, *scripturarum falsificationem, stuprum*, *adulterium* ; (1) insuper de officiis naturalibus hominum pariter ad invicem disserentes, quamplura haec esse ostendimus, eaque *absoluta*, vel *hypothetica, perfecta* vel *imperfecta, indefinita*, vel *definita*, et posteriora haec tam cum adimplentis *detrimento*, quam sine *detrimento* deberi: eaque omnia otsendimus, juxta sententiam quoque fere omnium adversariorum nostrorum, Sophistis incredulis nequaquam exceptis; ergo ec.

Prob. 3. in specie, expositione scilicet illius legis naturalis, quae utique statuit, quomodo in qualibet circumstantia homo ad alios sese habere debeat; seu quae hominum actiones omnes ad invicem respicit, dirigit, ac determinat; et ex qua omnia supra memorata officia tam absoluta, quam hypothetica, tam perfecta, quam imperfecta, tam definita,

---

(1) *Pag.* 95. *usque ad* 1.5.

quam indefinita; ita ut non solum imperium, sed usum quoque, seu jus exercendi *modum* a divina lege naturali, hoc est a Deo sit. Lex haec omnia homini indicit paucis hisce verbis „ *Non fac alteri, quod rationabiliter tibi non vis fieri; et fac alteri, quod rationabiliter tibi vis fieri in eadem circumstantia* „ *devita malum, fac bonum*„ seu „ *neminem laede, sed utilem te redde undequaque, et usquedum, potes*„. Adhuc simplcior, et mirabilior est formula illa christiana „ *dilige proximum tuum sicut te ipsum.* „ quod certe possibile, imo et connaturale esse omnibus hominibus, satis superque manifestum esse potest ex quamplurimis argumentis, quae ad probandam in genere naturam legis existentiam exposuimus (1), quae locum habet quoque pro demonstranda existentia duarum legum specialium, de quibus in praesentiarum.

Objic: 1. Charitatis seu humanitatis officia, inter officia *imperfecta* recensentur, quae ad differentiam officiorum *perfectorum* coactionem non admittunt, suntque affirmativa, seu imperativa, quae non aeque ac negativa, et proibitiva semper, et pro semper, ut lo-

---

(1) *Vid. pag* 115. *et seq.*

quantur scholae, omnibus circumstantiis, ab omnibus hominibus, et erga omnes obligant; unde fit quod actus charitatis potius consulendi, et inculcandi sint, ac modus, et extensio adimplementi pendet ab occasione, tempore, et loco, a judicio, et voluntate hominum, et tandem ex eorumdem hominum mediis.

Resp. primo, quod in adversariorum sententia officia imperfecta, perfecta fierent in duobus casibus: primo si casus necesitatis incideret; secundo, si in statu, quem vocant *civilem*, imperantes talia officia legibus praeciperent.

Resp. secundo, quod nemo est, qui, absque sui damno, aut injuria, nequeat adimplere multa humanitatis officia erga proximum suum; erga eos scilicet, qui eum propius circumdant, et qui consequenter in conscientia tenentur

Resp: tertio, quod officia perfecta utique coactionem admittunt, sed ab uno tantum subjecto debentur, quo non praestante, jure suo quis excidit: at officia imperfecta recte ab omnibus promiscue petuntur, ac debentur. et ideo faciliora, frequentiora, ac promptiora censeri queunt.

Resp: quarto, quod natura medium indirectum reliquit homini ab impellendum Egoistam, si hujumodi vocabulo uti liceat, pro horum officiorum observantia; negando ei videlicet, eum in finem, similia officia,

quamlibet beneficentiam, hoc est benevolentiae effectus, ut fusius quaestione sequenti explicabimus (1), quin interim advertere non omittamus, quod nemo perfectus evadit, nisi tam illa, quam ista officia adimpleantur fideliter; sola enim charitas legem undequaque implet.

Obic: secundo: ad pacem inter homines habendam sola justitiae lex sufficit, ut non-

---

(1) *Questo principio* observat De-Haller, *sarebbe suscettibile di ricevere uno sviluppo assai istruttivo. Riempie una laguna considerevole nella scienza, concilia solo in un modo soddisfacente il rigore del diritto, e l' umanità, spiega moltissime leggi ed usanze, le quali altrimenti sembrerebbero ingiuste; e dà una regola così giusta come feconda nella sua applicazione, sia per la condotta dei particolari, sia per la legislazione ed il governo. Nel diritto delle genti, ben si riconosce che si possono impiegare le rappresaglie per forzare il proprio nemico all' adempimento* de' doveri di umanità, *eh bene! la stessa regola ha luogo nel diritto privato; e per ogni dove gli uomini l' approvano, e la mettono in pratica. Tom.* 2. *pag.* 230.

nulli graves auctores tuentur; ergo charitatis lex in hac scientia, aut rejici, aut omitti potest.

Resp: neg: ant: Licet enim hae duae legis species in scholis distinguantur, et distinctio in natura fundetur; attamen tum in theorica, cum in praxi eas iterum conjungere, exponere, et sequi eodem tempore opus est; justitia enim, et charitas, veluti duae indivisibiles sorores pro felicitate humanarum consociationum sunt; utraque in legislatoris obsequium adimpleri debet, et utraque obligat in conscientia; (1) quod etiam adversarii, uti vidimus ab initio, increduli s scriptoribus

---

(1) *Che se uomini di spirito come Boemero, ec. han potuto sostenere, che la sola giustizia basterebbe al mantenimento della pace tra gli uomini, è questa una prova dei gravi errori, in cui si cade nell' occuparsi esclusivamente di un ramo qualunque di scienza, e non interrogando la natura delle cose. Senza azioni di benevolenza, senza una scambievolezza di buoni Uffizj, ne anche la più piccola famiglia, nè alcun legame sociale qualunque potrebbe sussistere per ogni giorno, o per un quarto d' ora soltanto; quei che ne*

exceptis admittunt (1) Quinimo recte cum sapientissimo De-Haller charitatem caementi nomine non incongrue appellamus, ea enim homines, et coglutinantur, ac mutuo opem, auxilium, subsidiumque praebent.

Obic: tertio. Leges superius allatae, ajunt nonnulli Sophistae, naturali sanctione, premio nimirum, ac poena carent; ergo etc.

Respondere placet verbis De-Haller, ubi spretis Pseudo-Philosophorum com mentis circa originem, et naturam legis, sic profunde loquitur =L' obbligazione può aver luogo verso un essere superiore, verso quello stesso legislatore, il quale, da un lato merita l' universal confidenza per la sua sapienza, e che

---

dubitano, ne facciano il saggio, se loro è possibile. In quanto a noi ci sarebbe facile di provare merce l' istoria, e l' esperienza, che sia nella vita privata, sia tra gli stati, il ricusare l' adempimento dei doveri di umanità, o delle buone maniere fa nascere più inimicizie, questioni, e contrasti, che non vengono in seguito della violazione dei doveri della giustizia rigorosa. De-Haller Tom: 2. *pag.* 227. *not.* 1.

(1) *Vid. pag.* 68. *et seq.*

dall' altra è assai potente per far esequir la sua legge per ricompensare con diversi vantaggi quei, che la osservano, e per punire con innumervoli mali quei che la disprezzano. (1) Or dunque è impossibile di dubitare della realtà di tali conseguenze buone e cattive, quando si considera la natura delle cose, ed allorchè s' interroga la Storia e l' esperienza, e nulla v' è di più soddisfacente ed istruttivo, quanto l' approfondire la proprietà di quelle ricompense, e pene divine. Allor si osserva con ammirazione ch' esse infinitamente sorpassano in sapienza tutte quelle che sono stabilite dagli uomini, i quali, a questo riguardo, come ad ogni altro nulla possono fare di meglio, se non che imitare l' autore della natura; si osserva che esse emergono immediatamente dall' essenza della stessa azione; che fondate le une, e le altre sù di un secreto principio di reciprocanza, le ricompense sono le più lusinghiere e le più

(1) *Obbligatio requirit coactionem voluntatis, quae consistit in metus injectione ab eo profecta, qui normam praescribit. Bohemer: Jus pub. univ' pag.* 18. 19. *Halae, Magdeburg.* 2. *edit.* 1726.

da bramarsi; e che le pene, senza esser crudeli, son fra tutte le più sensibili al trasgressore, le più adattate a correggerlo; che esse sono di più variate, e graduate all'infinito, inevitabili, e certe. (1)

---

(1) *Aggiungiamo soltanto*, sunt verba ejusdem Auctoris pag. 238. *un picciol numero di esempii: dall'uomo giusto vuolsi la pace, e la ottiene; si rende alla bontà quello, che brama, cioè, la benevolenza, l'amore; l'uomo laborioso, ed economo cerca i beni di fortuna, e riesce a trovarli; il valoroso è coronato dalla vittoria, il sapiente è desideroso del riguardo e della confidenza, e queste non mancano di seguirlo, ec. D'altronde il voluttuoso cerca soltanto i piaceri, e vi trova le malattie, e gli affanni; il prodigo tende solo a godere, e bentosto è ridotto a mancare del necessario; l'impostore desidera d'ottenere la confidenza degli uomini, e la perde; la negligenza, e la mal' accortezza è punita da calamità; l'orgoglio delle umiliazioni; l'ingiustizia dalle inimicizie; l'egoismo dalla privazione di ogni altrui soccorso, ec. Questo bel soggetto é stato assai ben trattato* da *Cumberland*, De

Horum temporum indole attenta, huic quaestioni finem imponere cogimur verbis illis ejusdem auctoris, quibus, legis de qua huc. usque characteres sublimiter evolvit, videlicet = finalmente l' obbligazione corrispondendo alla legge naturale riunisce gli stessi suoi caratteri; essa è innata, universale, necessaria, perpetua, evidente, e non ammette alcuna dispensa; è la prima, e la più grande di tutte; in caso di conflitto, la vince sù tutte le altre; è nel tempo stesso la più dolce, e la più facile ad adempirsi. Se dunque questa legge morale è la regola suprema dell' impiego di ogni facoltà, e di ogni libertà umana, essa s' estenderà pure agli uomini potenti; e se il suo carattere obbligatorio viene dal Creatore della natura, o dal sovrano Signore, tutti gli altri sovrani subal-

---

leg. nat. cap 1. §. 26. *Puffendorf. jus nat. et gen. lib.* 11. *cap.* 3. § 26. *Nella Sacra Scrittura, i Salmi di Davidde, ed i Proverbii di Salomone contengono molti passi a questo riguardo. Il principio generale n' è ammirabilmente ben espresso nè proverbii:* Quod timet impius veniet super eum, desiderium suum justis dabitur. Prov: X, 24.

terni vi saranno ugualmente sottoposti. S' essa è innata presso tutti gli uomini, non avrà bisogno nè d'essere introdotta nè promulgata in un modo particolare; sarà conosciuta da grandi, come anche da piccioli. S' è universale, sarà pure obbligatoria per coloro, che regnano, e l' impero di cui non consiste già nell' ingiustizia, nè nel potere di regolare ad arbitrio tutte le cose, ma soltanto in una superiorità di forze, in mezzi più numerosi, onde esercitare diritti naturali, e di ottenere per conseguenza il vantaggio in caso di contrasto, finalmente nel possesso d' un utile potenza, che mette al caso di disporre de' servigj, o del l' assistenza d' un più gran numero d' uomini. Se essa è la legge suprema, essa la vincerà sù tutte le altre; gli ordini, ed i regolamenti umani le sono subordinati, e debbono essere autorizzati da essa, o almeno non contradirla. Finalmente, se l' accompagnano ricompense, e pene naturali, gli uomini i più forti non la fuggiranno, e troveranno così una ragione di più, onde conformarsi a suoi precetti. (1) In conseguenza

---

(1) *Quanti Principi*, monet idem scriptor, *le potenti famiglie si sono perduti*

ogni trasgressione, grande, o minima di questa legge morale. è un illecito abuso del potere, come pel più gran potentato, così pure pel semplice padre di famiglia. La violazione della parte proibitiva chiamasi *ingiustizia*; la violazione, o negligenza della parte imperativa, chiamasi *durezza di cuore*, o pure egoismo.... Si è in diritto di esiger la giustizia dal forte, come dal debole, purchè però la si osservi verso di loro; riguardo agli atti di carità si possono sperare dalla parte più nobile del cuore umano; deve procurarsi di meritarli, e di renderli con disposizioni, ed azioni della stessa natura, cioè, con una scambievole bontà. In una parola, uscir dalla sfera de' proprii diritti, siano naturali, siano acquistati; assalire violentemente il dominio del pros-

---

per la prodigalità, la quale distrugga lo stesso potere, potere fondamento di ogni autorità; per la mollezza, e voluttà, che temono ogni contrarietà, ogni privazione; per l' ingiustzia, la quale si fà nemici per ogni dove; per la perfidia, la quale fà perdere ogni confidenza! Sequitur superbos ultor a tergo Deus. Seneca.

simo, ledere gli altrui diritti. . . . . è questa un ingiustizia, un dispotismo, ed un abuso per parte del sovrano, come del più infimo servo, o particolare. Questi principii si sono ammessi in tutti i tempi, e da tutti gli uomini; gli stessi sovrani non gli hanno giammai negati. Benchè i giureconsulti non gli abbiano applicati agli Stati, o al potere detto *politico*, in un modo così chiaro, così rigoroso, come noi il faremo in seguito, nulladimeno essi se ne servono in ogni dove come di base, senza dubitarne affatto. Sono sì semplici questi principii, sì evidenti, e sono stati insegnati da tanti grandi uomini di tutti i secoli, che noi saremmo inescusabili ripetendoli in un opera simile a questa, se l' attual corruzione della scienza politica non ce ne imponesse il dovere. E se i moderni filosofi non si avessero data tanta pena per rendere dubbioso tutto quel ch' è certo, ed oscuro tutto quello che è chiaro, non vi sarebbe, per così dire, fanciullo alla cuna, che meglio di loro non sapesse distinguere il giusto dall' ingiusto, l' uso, e l' abuso della libertà. (1)

---

(1) *Tom.* 2. *pag.* 238. *et seq.*

QUAESTIO IX.

An detur status naturae, in quo media habeantur, queis potestatis abusus praepediri valeat, quantum humana conditio sinit, quin ea de causa ad humana instituta recursum habere opus fuerit.

Not: 1. Satis apparet sub hac quaestione disserendum esse, quibusnam modis naturalibus (ideoque legitimis), et usque dum potestatis abusus, hoc est injustitia impediri, nec non tueri queant hominum jura naturalia aequalia; quae jura certe naturalia, et eaqualia in omnibus hominibus etiam per nos, sunt praecipue 1. jus servandi seipsum, ac res suas; 2. jus seipsum perficiendi cultura suarum facultatum physicarum, et moralium; 3. jus dominii, seu proprietatis super bonis legitime acquisitis; 4. jus libertatis, seu libera facultas faciendi, independenter a qualibet potestate, et lege humana, id omne, quod conservationem vitae, perfectionem, et proprietatem respicit; 5. jus libertatis, seu libera facultas cogitandi, seu judicandi circa ea jura absque ulla dependentia; 6. jus utendi vi, quoties haec necessaria sit pro defensione, vel redintegratione dictorum jurium; 7. jus ad alio-

rum hominum auxilium, ubi quis eo pro supradictis omnibus juribus servandis indigeat. (1)

Not: 2. Si adversarii audiantur, natura hominem sibimetipsi reliquit, absque mediis nempe, vel remediis ad justitiam, et se ritatem servandam, unde inferunt, consociationes factitias, artificiales tuitiones, publica instituta, ac aedificia humana necessaria esse, ita ut nec justitia, nec securitas absque hisce, mediis humanis haberi possit.

Not. 3. Quatuor sunt media, quae ad potestatis abusum praepediendum concipi possunt. Primo scilicet, quod homo legem naturalem observet, ejusque observantiam in aliis c uret: secundo, quod pro modo virium, alterius vi, seu injustitiae obsistat, atque resistet: tertio, quod dum propriae vires non sufficiunt, aliorum succursum provocet, ac invocet: quarto demum, quod in casu extremo a malefica vi, seu a potestatis abusu, fuga aut emigratione se subtrahat. Hisce praestructis, de horum quatuor mediorum existentia distinctis articulis majoris claritatis causa disseremus.

---

(1) *Spedalier. Lib* 1. *Cap.* 3. *Zalling. Jus nat. privat. Tom.* 1. *Cap.* 12. *et seq.*

ARTICULUS I.

An observantia legis naturalis, qua actiones hominum ad invicem diriguntur ac limitantur, sit medium aptum, atque efficax ad amoliendum, seu amovendum potestatis abusum.

Nota. 1. Medium hoc profecto excludunt pauci sophistae illi, qui legis naturalis existentiam inficiantur, sed paucos amentes hosce plusquam satis jam refutavimus. (1)

Nota. 2. Si Grotiani audiantur, vel lex naturalis omnibus societatis necessitatibus nequaquam sufficit, et quod in idem recidit, hujus legis observantia obtineri nequeat absque societate, et potestate suprema *civili*, ex facto nimirum hominum, patrumfamilias praesertim, inter quos contractum socialem excogitarunt ac volunt: vel hujusmodi humana instituta saltem *ad melius esse, seu ad meliorem jurium securitatem* habendam, ut antiquiores juristae loquuntur, necessaria censenda sunt. Verum sit

---

(1) *Vid. pag.* 115. et seq.

PROPOSITIO

Observantia naturalis legis justitiae, et benevolentiae in actionibus hominum ad invicem, est primum, ac omnium praecipuum medium ad amoliendum potestatis abusum, ac jurium omnium securitatem habendam.

Prob: Assertio haec clara in se, ac evidens est adeo, ut fere ab omni probationis genere abstinere possemus. Enim vero ex deductis sub praecedenti quaestione manifestum est, quod prima ex recensitis duabus legibus, qua homines erga alios sese habere debent, est lex *negativa*, lex nimirum justitiae nuncupata, qua omnibus omnino hominibus, sive pusillis, sive magnis, absque ulla exceptione, ac stricte *prohibetur*, ne quis alium laedere audeat, sive in vita, sive in rebus, sive in honore, sive in fama, sive in exstimatione, sive libertate, sive in quolibet alio proprio jure: ex adverso secunda lege *praeceptiva*, amoris nimirum, charitatis seu benevolentiae, indicitur, ac promovetur quodlibet auxilium, quilibet succursus, quo proximus sive pro vitae conservatione, sive pro alimonia; sive pro jurium defensione, sive pro intel-

lectus instructione in diversis suis positionibus, ac circumstantiis indigere potest; ergo perspicuum, ac evidens est, hujus naturalis legis in actionibus hominum ad invicem, potestatis abusum, seu injustitiam praepediri, ac jurium omnium securitatem haberi (1).

Forsan alias leges, aliasque institutiones his meliores, aut utiliores pro privata, aeque ac publica felicitate, pro justitiae observantia, pro jurium indemnitate, ae brevioribus verbis loquentes, pro societatis bono homines invehere potuissent? Quis legibus his vanam, sterilem, atque illusoriam hujus saecnli *philantropiam* comparare auderet? Postquam sophistis in animo fuit (stulte quidem) dictis legibus paradoxum voluntatis generalis populi substituere, anne hominum conditio melior, ac felicior evasit? Heu tota Europa gemitibus suis, atque clamoribus satis abunde respondet.

Neque a fletibus igitur, neque a luctu ipsa cessabit, qnousque super pestilentiae cathedris in tot ejus Universitatibus pseudo-

---

(1) *Plura alia argumenta intrinseca alte exponit Haller Tom. II. Cap.* 15. *pag.* 245. *et seq.*

professores juristae, legis naturalis essentiam sophismatibus, atque cavillationibus, ac insuper sub restaurationis specie, immutare, corrumpere, prostituere, ac prosternere conentur; quousque neutiquam a viris doctis explicetur, a statuum ministris defendatur, ab institutoribus in corde hominum firmetur, ac a principibus eorum protectione fulciatur: quinimo tempus adveniet, in quo totus orbis sub omnium malorum acervo ingemiscet, se, post exitiosam theoriam *socialis contractus*, *seu suppositilii status civilis factitii*, liberalem esse.

Quod si verum sit, ut reapse est, quod Evangelium naturalem legem instauraverit, atque perfecerit, teste eruditissimo Barbeyrac, ubi ait " *che G. C. ha ristabilita la morale*, *e ne ha pienamente scoperte le sorgenti* (1) " imo teste impio auctore *Codicis naturae*, qui fassus est = *che lo spirito del Cristianesimo ha ravvicinato gli uomini alla legge della natura* (2) = ;

---

(1) *Praef. supra Puffendorf.* § 8.

(2) *La Harpe Cours de Letterature. Tom. XVI. part. 1. Videri potest* = *La collezione* (*a nobis edita*) *dei Ragionamen-*

quanti illud faciendi esset pro societatis bono, pro jurium omnium securitate, pro subditorum, ac Principum utilitate, atque tranquillitate (1).

Objic. Non omnes homines timent Deum, et plurimi consuetudine peccandi eo perveniunt, ut legem naturalem parum aestiment unde parum efficaciae, et auctoritatis esset; habitura, nisi accederet sanctio paenalis, quae a solo Principe est, vel summo imperante collectivo.

Resp. Quamlibet sanctionem edi posse contra legis naturalis violationem, sive aspernationem, tam a summo Principe naturali, atque individuali, quam a principe collectivo, si sermo sit de rebuspublicis recto sensu acceptis, quin ad principem factitium, seu collectivum recurratur; imo tam illum, quam istum ad id teneri videbimus, ubi de Principum juribus atque obligationibus agemus.

---

ti sacri Apologetici = sub duobus articulis = Vantaggi temporali della Società Cristiana = Sodezza de' principii, moltiplicità, e facilità de' mezzi, purezza dei fini della Società Religiosa Cristiana = - Fossombrone 1837.

(1) *Vid. Tassoni Tom.* 3. *C.* 9. *et seq.*

ARTICULUS II.

An propriis viribus homo potestatis abusui obsistere, et jus sibi dicere legitime queat.

Nota 1. Grotiani jus individualis defensionis admittunt tam sine laesione, quam cum laesione; sed censent hoc idem jus naturale in statu *civitatis*, seu *civili* magnopere restrictum fuisse, ac restringi debere, praevia renunciatione primigeniae libertati, hoc est naturali independentiae ab omni potestate, ac voluntate hominum (1). Heinnecius fuse exhibet theorias, sive consectaria, quae in hac re descendunt ex falsa, et chimerica distinctione primitivi status naturae, *extra-socialis* nimirum, et subsequentis status socialis *civilis*, ex facto nempe hominum. Ipse itaque, aliique tradunt

Quod in statu naturali defensio semper licita, ac justa est, quoties aliquis, quamcumque, etiam levem facit injuriam, aut intentat; nam ajunt, tunc judice destitui-

---

(1) *Zalling. Tom.* 1. §. 104. *N.* 5. *Schvvarz. Part.* 1. *Tit.* 4. *Instruct.* 2. §. 5.

mur: in statu civili vero licita, ac justa est defensio, quando quis alterius scelere reperitur in gravi, atque praesentissimo periculo, quod aliter effugi nequeat, quam eo modo, ex. gr. si quis alium aggrediatur armis mortiferis.

Quod in statu naturae omnis laesus vel injuria affectus, etiamsi ea satis levis videatur, modo satisfactio denegetur, violenti defensione se tueri queat: nam, inquiunt, qui in illo statu alium laedit, et satisfactionem denegat, is hostili in illum animo est; hosti autem in hostem in eodem statu in infinitum omnia licent; in statu vero civili non quilibet laesus habet jus se violenter defendendi, sed in periculo dumtaxat constitutus.

Quod in statu naturali recte se defendere pergit, quis etiam extra periculum constitutus, quamdiu alter satisfactionem denegat, quia, per eos, adhuc durat hostilis animus; at id non licet in *statu civili*, quin potius in eo cessat jus sese defendendi, statim, ac cessat periculum. Ratio discriminis, per eos denuo est, quia in statu naturali non est judex, quem implorare quis possit.

Quod in statu naturali jus sese defendendi est momentum, quo laesit quis, et denegavit satisfactionem; nam asserunt, ab eo

momento, ostendit hostilem animum; ergo cuilibet ab eo tempore jus est illum, ut hostem tractandi; e contra vero in statu *civili* non laesione, sed ab initio periculi praesentissimi jus defensionis oritur; nam antea, judicis auxilio uti licet.

Quod jus defensionis in *statu naturali* durat tamdiu, donec laeso satisfactio data, et de futura securitate cautum est; in statu vero *civili*, donec ex periculo isto, quis se expedivit; nam tunc satisfactione, et securitate futura ,judicis est statuere.

Quod pro rebus servandis licita sit defensio violenta in statu naturali; qui enim res alicui eripit, animum hostilem declarat; in statu *civili*, nisi imminenti vitae periculo; alias enim si furem aliter amolire, vel a judice quis defendi possit, huic vim adhiberi non liceat. Quoad modum autem, seu limites defensionis, eum ex fine judicandum esse admittunt, ac proinde statuunt, *ea omnia pro defensione sui facienda, sine quibus periculum evadere non licet.* (1)

---

(1) *Heinnec.* *Lib.* 1. *Cap.* 5. §. 7. *et seq.*

Nota. 2. Ex tot igitur restrictionibus, ac limitationibus manifeste patet, Grotianos jus individualis defensionis, seu facultatem sibi jus dicendi, generali regula, ac per modum thesis denegare in moderna, ut ajunt, Creatoris providentia, attento scilicet praesenti statu *civili*; illudque tribuendum esse homini in casu extremae necessitatis tamquam jus *residuum*, hoc est, tamquam jus quod post status civilis institutionem ei remanserit (1). Animadvertendum quoque, Grotianos concedere, licet fortasse aegre, quod jus defendendi se ipsum aliquando utile sit, ac tollerari possit, vel etiam a Statibus, seu Principibus agnosci queat, tum cum succursus publici regiminis impossibilis est, et nimis tardus, ac lentus (2).

Not. 3 Ulterius, admodum inter tenebrarum augmentum progressi sunt recentiores pseudo--philosophi, praesertim Alemanni, e nuncupantes *Moderatos* (3) qui duce

---

(1) *Vid. pag.* 161.

(2) *Vid Haller. Tom.* 1. *Cap.* 6.

(3) *Tali nomine ipsi gloriantur, eo quia docuerunt, ac docent, status nunc existen-*

cano sophista Kant, insane, aeque ac crudeliter docuerunt, una cum libertate individuali, ac privato jure, etiam jus individualis defensionis, ac resistentiae abrogandum, ac proscribendum prorsus esse, ad effectum, inquiunt, ineundi societatem, atque instituendi statum hominum rationalem, juridicum, legalem, uno verbo, statum justitiae; quoniam per ipsum Kant, ejusque sectatores, status ille hominum, qui hucusque extitit, ac modo existit, omni justitia undequaque caruit, et caret, licet (heu insania!) status idem non factitius, seu *civilis*, sed *naturalis* fuerit, ac sit, qua de causa, statum naturalem (injustitiae per eos) damnant, atque deprimunt (1).

---

tes, sensim, ac paullatim reformandos esse, juxta archetypam ideam, seu theoriam contractus socialis. *Vid. De-Hall. Tom.* 1. *Praefat. et Tom.* 2. *Cap.* 6.

(1) *Vid. Haller Tom.* 1. *Cap.* 6. *Catechism. pag.* 123. *et seq. ac articulum nostrum in Diario Catholico Lucani relat. anno* 1837. *sub tit.* = *Sacrifizii, che i sedicenti pubblicisti Filosofi coi loro sistemi sociali esigono dalla libertà, e dagli altri*

Nota. 4. Primorum Scriptorum opinionem rejicientes, nos ex adverso firmabimus, jus seu facultatem resistendi injustitiae, aut, malo potestatis usui, ac jus sibi dicendi, non per exceptionem regulae, sed tamquam regulam, ac thesim, tenendum fore, quod homini naturaliter, seu ex lege naturali competat; non quidem sensu, quod modo illimitato, ac indefinito, et in omnibus circumtantiis eo uti liceat, sed sub certis conditionibus, ut in sequenti propositione declarabimus. Eorumdem autem Scriptorum opinione eversa, multo magis allata sententia, sic dictorum *Moderatorum* evanescet. Sit itaque

PROPOSITIO

Alterum medium legitimum homini com, petens contra injustitiam, seu malum potestatis usum, est jus resistendi, ac sibi justitiam administrandi; tam pro conservandis, quam pro recuperandis rebus suis: non attamen illimitatum, ac indefinitum, sed tale, ut illud exerceri debeat, si media sufficen-

---

diritti dell' uomo, mentre che quella e questi pretendono salvare e garantire =.

tia habeantur, cum alias ejus usus inutilis foret; si absint pericula, et alia incommoda, ob quae ab ejus exercitio prudentia abstinendum fore suaderet; et quatenus charitatis, et humanitatis sensus jus illud moderetur adeo, ut semper et mitiorem medium et minus malum praeferatur, quoties tali pacto finis aequaliter obtineri valeat.

Prob. prima pars ex juris, de quo agitur, origine. Haec a natura profecto est et quidem etiam per tradita a Grotianis: quinimo, juxta eorum doctrinam, homo in statu naturae omnia potest in infinitum (1); et quoad hoc a nobis in eo tantum differunt, quod ipsi velint, illud jus non parum cohibitum fuisse in homine per ejus renuntiationem, transitumque (immaginarium) a praetenso primitivo statu *naturae, extrasociali* nimirum, ad subsequentem *statum socialem civilem*; atqui jus, quod a natura procedit, procul dubio jus legitimum est; ergo ec.

Prob: 2. Deus impertitus est homini intelligentiam, ac insuper ei aeque, ac animantibus, vires tribuit, non frustra equidem, sed

---

(1) *Vid: pag:* 263. et seq.

quibus tuerentur, ac juvarentur = generi animantium, ait Cicero, omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueantur, declinentque, quae nocitura videntur; (1) sic dente lupus, cornu taurus petit; unde, nisi intus monstratum? = uti canit Horatius. Sic teste Philosopho, (2) et homini manus pro hasta est, pro ense, pro armis quiquslibet, quae omnia potest sumi, ac teneri. Unde idem Romanus Orator (3); *Non est haec scripta, sed lex nata, quam non didicimus, verum ex natura ipsa hausimus; ad quam non docti, sed facti, non istituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum manus incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis, ec. Hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos Gentibus, et feris Natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, et a vita sua propulsarent.*

---

(1) *Lib*: 1. *de Offic*:
(2) *De part*: *animal*: *C*. 10
(3) *lib*: 3. *de Offic*:

Prob. 3. Indubia atque generalis thesis semper fuit, quod homo propriis cognitionibus, seu proprio intellectu, ac propria prudentia uti potuerit ad amoliendum malum imminens; quodque in casu necessitatis licuerit etiam impendere vim pro implemento officiorum perfectorum, seu strictae justitiae obtinendo = *Vim vi*, ait Petrus Jovius, *repellere licet, omnium mortalium consensu justissima est belli* (1) *causa, propulsare injurias, et tueri armis focos, liberos, patriam.* Et sane homo talem vim impendendo, id tantum exigit, quod ei spectat, neque ulli injuriam infert; ipse servat tantum legem naturalem, seu divinam; et haec est actio licita, imo et obligatoria., ut fusius jam jam probabimus, pro quolibet homine, pro modo suorum mediorum.

Prob. 4. ex ejusdem juris utilitate. Id certe quod justitiae regnum acellerat, est, non

---

(1) *Quod dicitur de bello, idem dicendum esse de privata defensione; seu quod bellum sit species defensionis inter principes, sicut inter privatas personas, demonstrabimus infra.*

solum ab aliornm laesione abstinere, verum etiam curam habere, ut quantum fieri potest, eadem amoveatur; et praetensus status civilis, in quo omnis personalis defensionis jus supprimere conaretur, ut ex una parte dementiae culmen ostenderet, ita ex altera impiorum hominum, non bonorum, seu justorum votis satisfaceret; et non enim isti, sed illi aliorum jura attentant; et si justi, ac recti homines injurias omnes patienter sufferre cogerentur, relicto eis tantum, ut volunt adversarii, succursu extraneo, qui natura sua incertus, tardus, incompletus, ac saepe impossibilis est, omnis utilitas impiorum favore haberetur. Ulterius laesionum, offensionum, ac delictorum numerus in infinitum augeretur, si crimiuosi homines nil timere ab illis deberent, qui injuria affecti fuerunt, nullam resistentiam, nullam promptam castigationem timere deberent, et nonnisi periculo paenarum tribunalium exponerentur, quae poenae non semper effectum sortiuntur, quaeque semper facile evadit possunt. Praeter quam quod, si homo intimum sensum audiat, statim agnoscet, quod timor paratae resistentiae, ac punitionis ex parte personae offensae, criminum designationem magis impedit, quam timor judicialium animadversionum. Utilitas igitur, si-

mulque necessitas juris, de quo loquimur, ejusdem naturalem, et ideo legitimam originem demonstrat.

Prob: 5: universali experientia. In facto ubique habemus eo jure omnes omnino homines reapse gaudere, illudque ubique, absque ulla contradictione exercere, sub conditione tantum, quod ejus usus possibilis sit, et servato aequitatis, et prudentiae dictamine. Jus penes antiquos omnes populos agnitum vindicandi mortem aggressi parentis, etiam sacra historia exponere possemus (1); verum hoc praetermisso, cui nam ex hominibus, quaesumus, hisce temporibus interdicitur, ac prohibetur, quominus vires suas intendere queat in aggressorem, in uxoris, aut filiarum seductorem, in proprietatis raptorem, nedum ante, verum et post patratum crimen, nedum ad periculum tantum ablegandum, sed insuper ut se in tuto ponat in futurum? Cui nam vetitum fuit in latronem manus injicere, eique res ablatas auferre? aut violentia uti causa amoliendi e propria domo, et a propriis agris laesiones, aliasque injuriosas actiones? aut penes

---

(1) *Deuter: cap: 19. 20. e 21*

se aliquam rem propriam in pignus legitimi creditus retinere? aut tandem officia strictae justitiae abnegare ei, qui ejus gratia similes obligationes adimplere retractet, ac se defendere per repraessalias? nonnullae purgatrices, ac caupones etiam in pignus eorum debitorum, ac locatorum res detinent, dum discessuros fore timent, ipsis minime satisfactis: Diversores retinent equos, ac vecturas, dum discessus timetur absque expensarum solutione. Hujusmodi medio naturalis lex homines certe praemuniit: ubi nam id aliqua lex humana prohibuit? Ubi, nam Judex, qui ea propter in illos animadvertat. Tantum vero abest, quod codex aliqnis jus illud efficaciter vetuerit, quinimo majus numerus e contra positivarum legum habetur, in quibus expresse, ac tamquam generalis regula admittitur in homine jus sibi jus dicendi, et succursus medium tamquam subsidiarium, seu in subsidium exhibent, atque indigitant. Haec, aliaque plura argumenta videri possunt penes De-Haller(1) et

Prob: sexto ex eo, quod facultas se defendendi, ac sibi jus dicendi tam pro vitae,

---

(1) *Tom*: 2. *pag*: 255. *et seq*:

quam pro rerum suarum conservatione, aut recuperatione, non solum *naturalis* est, ac proinde *legitima*, sed est quoque species obligationis tum quoad se, cum quoad alios. Idque variis argumentis ostendi potest. Et primo quidem, is qui pro modo virium suarum sibimetipsi succurrere negligit, alieno auxilio indignum prorsus se reddit: quisquis malum impedire valet, et non impedit, tamquam ejusdem mali auctor censeri debet; et proeter damnum, justae insuper infirmitatis, ac inertiae suae exprobrationi obnoxius est (1). In communi hominum vita nonne audiuntur pueri, et homines adulti, eos omnes aspernantes, qui sibimetipsis non sufficiunt, qui

---

(1) *Qui non vetat peccare, cum possit, jubet.* Seneca - Dicebat Cato: *eos qui male agentes prohibere possent, neque id facerent, eorum flagitiis assentire.* - Qui, secum *defendere possit, occidi patitur, ille damnari potest non aliter ac si se ipsum occidisset.* Puffendorf. - *Rectum et necessarium vindicare injuriam; quippe ad occisi calamitatem etiam infamia timiditatis accedit*: Erodianus.

que pro qualibet re, et qualibet de ca sa- etiam minima fletu, ac planctu importune ab aliis succursum invocant? Qui se defendere nequit, quomodo sibi similem protegere posset aut vellet?

Secundo facultas, seu obligatio particularis dicendi jus sibi atque aliis, tantum abest, quod extinctum, aut restrictum fuerit in praetenso statu sociali *civili*, quinimo potius crebro a principibus, et magistratibus agnitum ac etiam injunctum invenitur, ut ex quampluribus, tam antiquis, quam modernis legibus, quae poenis animadvertunt in eos, qui cum possent, id negligunt, idque non absque ratione, cum hujusmodi indifferentia, ac inaertia crimina non parum foveat. Hujusmodi leges penes AEgyptios, Persas, et Lacedemones procul dubio obtinuerunt (1). In, nostra autem aetate similes quoque leges, similesque mores obtinent. Cuinam interdicitur, seu melius loquendo, cuinam haud praecipitur uti *officium* sibimetipsi, suisque similibus auxilium praebere contra aggressorem, ac violentiam, malum omne, ac periculum ab aliis arcere, homines colluctan-

(1) *Vid. De-Haller Tom. II. pag.* 261.

tes sejungere, scelestis criminosas actiones impedire, aut etiam in futurum contra ipsos se tueri? Forsan generalis regula, seu thesis pro nefandiori Egoismo statuenda erit? Forsan recentiores sophistae homini contendere vellent jus extinguendi ignem, qui domum incendit, eo pretextu, quod personalis, et particularis succursus prohibitus sit; aut tribunalis sententia expectanda erit, tamquam *signum*, ut ajunt, *solum unicum*, ac *possibile ad hoc*, *ut judicetur*, an incendium illud verum, ac reale sit, vel potius jucunda illuminatio?

Quoad secundum nostrae propositionis partem, quoad nempe conditiones, sub quibus jus individualis defensionis, et facultatis sibi jus dicendi homo exercere potest, ea nulla vel fere nulla probatione indiget. Conditiones easdem adversarii perlubenter admittere debent, cum a jure, de quo agitur se avertant. Per nos autem recensitae conditiones ad ejusdem juris abusum praeveniendum sufficiunt; si enim ad ejus usum requiritur, ut homo sufficientia media habeat; quod absint pericula, atque incommoda, quae ab ejus usu prudenter sit abstinendum; et quod juxta charitatis, et humanitatis sensus praeferatur modus mitior, et minus malum eligatur, statim perfe-

ctum est, illius juris abusui hisce conditionibus occurri. Caeterum conditiones eadem satis innunt, necessarium quoque esse tertium medium in illis casibus adhibendum, alienum nempe auxilium, quod statim ideo exponendum est.

ARTICULUS III.

An, et qualis aliorum succursus sit medium naturale, et ideo legitimum contra malum potestatis usum.

Not: 1. Alieni succursus, seu auxilii necessitatem contra justitiae violationem, sive dicatur pro justitiae conservatione, admittunt utique Grotiani, sed eo intelligunt auxilium illud, quod ab artificiali potestate, ab imperio *factitio*, ab auctoritate *civili*, ab *hominum*, uno verbo, *institutione* expectari, ac impertiri debet. Hujuscemodi auxilium praecipue per eos legitimum, ac necessarium est, ad justitiam, saltem *tutius* servandam; autumantes, ad hoc societates seu relationes naturales sociales, quas nimirum nos juxta theoriam socialis status na-

turalis defendimus, non plene sufficere, ut jam innuimus (1). Verum sit

PROPOSITIO

Succursus, sive auxilium hominum ad invicem est tertium medium naturale in se efficax contra potestatis abusum, seu quod idem est, per se sufficiens ad justitiam servandam.

Prob: Vera procul dubio habenda est propositio haec, quoties homo naturali jure aliis auxilium praebere teneatur; quoties illud quilibet homo petere possit, et quidem nedum a proprio superiore, verum etiam ab aequalibus, et ab inferioribus, ac subordinatis, seu subditis; quoties eodem jure homo illud praestare possit, ac debeat, pro modo virium suarum; quoties naturalibus facultatibus suis moralibus causam justam, vel injustam, ob quam petitur, cognoscere queat, antequam illud exhibeat; et quoties nullum essentiale discrimen intercedat inter auxilium a superiore praesti-

---

(1) *Vid: pag:* 238. *et seq.*

tum, quod dicitur judiciale, et inter privatum auxilium; atqui ita est; ergo ec.

Prob: Ant: per partes. Primo connata lex moralis charitatis, seu benevolentiae in hominibus existit, eaque ipsis praecipitur, ut sibi invicem opem ferant pro justitiae conservatione (1). Unde quaque insuper existit physica lex *inaequalitatis* virium, qua similiter homines moventur, ut illa charitatis lex adimpleatur. Et sane, si naturae Auctor homines sibi invicem obstrinxit, ut reapse devinxit; eosque viribus fere in infinitum inequalibus donavit, id profecto fuit, ut in omnibus eorum necessitatibus sibi mutuis officiis opitularentur; ut debilis a forti defenderetur, ac fortis, necessitate pariter adveniente, seipsum tueri posset. Deus siquidem, numquam vero homines collectivis deliberationibus, Magnis indixit = *Judicate egeno, et pusillo; humilem, et pauperem justificate* (2).

Secundo. Quilibet homo laesus potest alienum succursum, seu alium hominem vo-

---

(1) *Vid*: *pag*: 241. *et seq*.
(2) *Psal*: 81, *ver*: 3.

care ad sui defensam; nam illud petendo, nullam injuriam infert alicui, sed ipse invocat tantum proximi sui charitatem ad jura sua, suasque proprietates servandas; nec ad hoc illud petendum, ulla instructione indiget; sola enim natura, ac sensus propriae infirmitatis satis ad id impellit.

Iam vero quod auxilium a superioribus, seu potentioribus, et ab aequalibus peti possit, nullus est ambigendi locus. Sed et peti potest, etiam ab inferiori; errant enim adversarii, ubi censent debiles tantum, ac pusillos alieno succursu indigere, cum e contra certum sit, neminem quantumvis fortem, aut potentem dari posse, qui sibi sufficiciens sit, seu qui extraneo succursu suorum jurium ad defensam non indigeat. Illud verum est, quod auxilium saepius ab inferioribus, aut aequalibus, quam a propriis *superioribus* peti soleat. Advertendum quoque, *succursum* obtentum ab hominibus debilioribus (et de quo disponi potest, quia aut aliis de causis sunt dependentes, grati, ac prompti ad officia impertienda, vel quia vi contractuum specialium ad illa tenentur) vocatur *servitium*; obtentum ab aequalibus dicitur *amicitiae*, *foederis*, *amoris*, *complacentiae*; a superioribus autem, sive ab hominibus potentioribus concessum, indigitatur vocabulo

jurisdictionis, de qua fusius, ubi de juribus et officiis Principum agemus.

Tertio. Quilibet homo jus habet perhibendi succursum suis similibus, quia illud exhibens, divinam legem naturalem, vel servat, vel adimplet. Quinimo illos opitulare pro modo virium suarum moraliter tenetur, et generaliter loquendo, homo se naturaliter pronum esse experitur, idque tum quia talis est effectus legis naturalis benevolentiae, cum quia cuilibet interest justitiam servare. Quid plura, si Grotianis etiam fatentibus, in homine connatum, ac naturale est jus ad alienum auxilium, nec non connatum, naturale officium ad illud impertiendum (1); aliunde vero satis hucusque nos demonstravimus, dicto juri hominem numquam renunciare, eoque officio numquam se expoliare potuisse.

Quarto. Non qualibet equidem, sed justa tantum de causa auxilium impertiendum est, sive a debilioribus, sive ab aequalibus, sive a superioribus petatur. Ad dignoscendum vero, an ea justa sit necne, homo in hujusmodi casibus quodam naturali impulsu,

---

(1) *Vid. pag.* 68. *et seq.*

ne dicamus curiositate, factum, ejusque circumstantias inquirere, imo et disquirere solet, ac factum, ejusque circumstantias naturalibus facultatibus moralibus cum lege naturali conferre, seu comparare potest, antequam succursum reapse impertiatur; unde auxilii concessioni praemittitur (ut necesse est) hominis judicium quodcumque, sive rectum nempe sit, sive erroneum. Non inficiandum utique, quod judicium saepe prompte, sola facti veritate inspecta, in eodem actionis momento emittatur, et quin multis formulis involvatur, nec multis verbis concipiatur; ast id minime a natura, hoc est a naturae jure minime, neque tamquam conditio necessaria, nec in omnibus casibus quibuscumque requiritur; nam, ut plurimum, injustitia non diu manet, neque majora argumenta, nec majores vires *recipit*. Jam vero etiam servus, et amicus *proprium* succursum negare queunt aliquando, dum videlicet, in casibus extraordinariis, alias timent quod ex ejus auxilii concessione, tam ipsis, quam aliis pejora mala essent futura; non enim, ut ex dictis patet, eis convenit succursum praebere, nisi licitis, ac justis de causis, numquam vero, ut iniquitas triumphet, quum alias ejusdem iniquitatis essent participes.

Quinto. Nullum, ex hactenus probatis, essentiale discrimen habetur inter eum succursum, qui ab inferioribus, et eum, qui a superioribus, *naturalibus* nempe, juxta nostram theoriam, perhibetur; quique *judicialis* appellatur: differentia accidentalis tantummodo est, eaque in duobus consistit, primo nempe, quod certe inferiores, et aequales non semper eorum judicium, ob mediorum defectum, executioni demandare queunt, eorumque auxilium non semper efficax est, cum e contra superior sententiam suam exequi potest, utpote sufficientibus mediis praeditus, et quatenus necesse sit, eos ad obedientiam cogere, qui detrectant; secundo, quod servus, qui domini sui auxilium postulat, ab ejns sane bona voluntate dependet magis, quam dominus a voluntate servi, ob rationes jam allatas, quamvis tamen obligatio in utroque casu semper eadem, ejusdemque naturae sit; quod latius ostendemus ubi de *jurisdictione.*

Objic. Alienum auxilium, natura sua incertum, saepe tardum, et raro completum est.

Resp: primo. Non minus incertum non minus lentum, non minus incompletum esset extraneum auxilium superioritatis *factitiae*, potestatis *civilis*, a qua praecipue, per adversarios, expectandum esset; nec parum dolen-

dum, legistas judicialem succursum, seu justitiam hisce temporibus, tot formulis, tot censibus, tot subtilitatibus, tot involutionibus, fere imperviam omnino, tum quoad *postulationem*, cum quoad *executionem* reddidisse.

Resp: secundo, egregiis verbis De-Hallr. = Quantunque l' altrui soccorso sia, di sua natura, una incerta risorsa, spesse volte tarda, e raramente completa; potrebbe nulladimeno essere di una utilità infinita, e contribuire grandemente al mantenimento della giustizia, se gli uomini si amassero vicendevolmente dippiù; se ognun di loro provasse l' ingiurie fatte al suo prossimo così profondamente, e con la stessa vivezza, colla quale prova quelle, che soffre egli stesso (1); se i servi di coloro, che hanno a lagnarsi, fossero fedeli, e zelanti, gli eguali compassionevoli,

---

(1) *Solon interrogatus quomodo quam paucissimae inter homines injuriae sint extiturae, respondit: Si perinde cum laesis doleant qui non laesi fuerint. Diog. Laert. in Solon. Questa profonda risposta non è pertanto altra cosa, che un applicazione del precetto cristiano = Ama il tuo prossimo come te stesso.*

e benefici, i superiori infine caritatevoli, ed attivi, e che tutti insieme fossero religiosi osservatori della divina legge; se particolarmente, il soccorso giudiziario offerto da superiori, ai quali è dato di soccorrere più efficacemente degli altri, non fosse sì sovente reso illusorio da molte leggi positive, ed onerose, da molte formole, termini e scritture, di sorta, che divien esso una calamità di più. Ma, anche quando questo giudiziario soccorso non è tanto utile, quanto potrebbe, o dovrebb' esserlo, ci rimane anche l' ajuto de' nostri servi, ed amici; ed in tal modo la natura non ci lascerà mai interamente senza alcuna risorsa (1) =

ARTICULUS IV.

An fuga, seu emigratio sit medium naturale, ad vitandum malum potestatis usum, seu injustitiam.

Nota 1. Adversarii omnes remedium hoc haud admittere non possunt saltem in

---

(1) *Tom.* 2. *pag* 268, *e* 269.

se, cum impossibile sit, quemquam noxiis potestatis effectibus obnoxium esse posse, dum ab eadem potestate absens est. Attamen nonnulli ex his idem medium *flebile beneficium* appellant; et recentiores scriptores illud e medio tollunt omnino, docendo, quod uti societates *civiles* violenter ineundae sint, ita homini liberum nequaquam sit ab eis societatibus se expedire, ac proinde post emigrationem insectari queat, utcumque illa innocens, rationabilis, et justa videatur (1). Sit itaque

PROPOSITIO

Fuga, seu emigratio est quartum, et ultimum medium naturale evadendi injustitiam et malum potestatis usum.

Prob: Propositio haec profecto *evidens* est, ac proinde ad eam demonstrandam nullimode immoremur. Tantum nosmetipsos referimus ad Auctorem, quem sequimur, ubi diserte ostendit, quod quamvis remedium·

---

(1) *Vid. de Haller Tom. 1. Cap. 6. pag. 216, et seq. et Tom. II. pag. 272. nota 2.*


de quo agitur *flebile beneficium* nuncupari liceat, naturale tamen, ac proinde legitimum est, ut naturale est homini a frigoris, et caloris aliarumque physicarum legum excessu se subtrahere: quod in qualibet mundi parte pax, et felix vita inveniri potest; quod procul dubio securitatis medium semper in se est; uodqne hujusmodi remedium ultimo loco adhibendum proponitur, dum nempe alia media forent inutilia. De hac re iterum sermo erit, ubi de mediis declinandi abusum potestatis supremae agemus.

Jamvero a mundi exordio quatuor istis mediis, et non aliis homines semper contra injustitiam usos fuisse nllimode ambigi potest; et hac etiam de causa media illa *naturalia*, seu *legitima* habenda sunt. Et sane qnid aliud a benefica natura, ac verius loquendo a benefico ejus Auctore pro justitiae regno in terris homo expectare potuisset, praeter moralem legem universalem, intrinseca potentia, ac obligatoria vi praedita; praeter diversas, tum morales, tum physicas vires pro ejusdem legis observantia; praeter succursum ex parte suorum similium; praeter facultatem tandem se subtrahendi ab omni hominum potestate, sive justa, sive injusta, necessario tamen, semperque limitibus circumscripta?

Caeterum ex hactenus dictis colligitur, adversarios tria ex quatuor hisce remediis e medio prorsus tollere conari, tertium tantum homini relinquentes, extraneum nempe succursum (et quidem factitium), qui natura sua semper est incertus, lentus, incompletus, ac insuper hisce temporibus homini, ob allatas rationes fere undequaque impervius: tantum abest quod pseudophilosophi justitiae conservationi, omniumque jurium hominis securitati arbitrariis inventis, seu *civili*, ac *factitia* potestate melius consulerint. Horum systhematis falsitatem, atque repugnantiam experientia quoque demonstrari jam satis innuimus.

Scholion. Post haec, quaestio, quam pro harum primae institutionum partis termino proposuimus, expendenda esset, quaenam scilicet sit causa occasionalis, et quinam societatum finis; verum materiam evolventes advertimus, quaestionem eamdem *in secunda* parte opportuniorem locum obtinere posse.

FINIS PRIMAE PARTIS.



INDEX

ERRATA			CORRIGE
pag.	lin.		
6	28	Martin.	Martini
id.	id.	Schlosser	Schloezer
8	3	antiqui fere omnes	plures tam antiqui, quam moderni
id.	25	finctionibus	fictionibus
9	27	totaeque	totique
id.	5	Mandalin	Wandalin
id.	id.	Scossoer	Schlosser
22	9	primogenius	primigenius
41	3	stimanda	aestimanda
id.	21	dominum	damnum
id.	22	haerilis	herilis
46	6	concessa	consensu
71	18	aequaliter	aequalitas
87	14	proprie	propria
id.	8	hinc	his
91	8	subalternas	*in subalternas*
95	15	censerunt	cènsuerunt
96	1	perduellium	*perduellum*
98	10	aopuli	populi
101	23	Jocula	Joculi
103	4	scelestis...... barbaris ipsis	scelesti.... barbari ipsi
id.	14	demulctis	demulsis
107	10	philosophare	philosophari
119	4	insidebat	insidebant
121	20	paenes	penes
123	2	paene	pene
id.	21	illae	ille
136	12	quaeunt	queunt
141	22	se opitulari	sibi opitulari
144	5	cuni	cunis
154	9	sive	sibi
155	12	ba	ab

pag.	lin.		
193	4	prophanos	profanos
id.	5	Aristotelem	Aristotilem
196	21	societatem	societatum
227	28	hujusdi ne	hujusmodi re-
240	1	grotis	aegrotis
241	12	institutio;	institutio-
id.	16	is	gis
245	1	loquantur	loquuntur
262	26	le potenti	e potenti
262	14	x	ex
267	3	aut,	aut
id.	16	com,	com-
271	23	evadit	evadi
274	15	qui	qui-
275	1	de ca	de causa
id.	4	qnmodo	quomodo
282	15	jure minime, neque	jure, neque
234	6	De Halli	De-Haller
287	8	uodque	quodque

Levioribus mendis veniam da.

